



N. 40

DISPUTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS  
DE  
**VULNERE  
LETHALI,**

QUAM  
Auspice DEO Ter. Opt. Max.  
CONSENSU ET AUTORITATE GRATIOSISSIMÆ  
FACULTATIS MEDICÆ,  
IN ILLUSTRİ ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,  
SUB PRÆSIDIO

VIRI *Nobilissimi, Excellentissimi atque Experientissimi,*  
**DN. JUSTI HENRICI  
MANGOLD,**

Medicinæ Doctoris ejusdemque ac Phil. Nat. Professoris  
Ordinarii, Collegii Medici h. t. DECANI Spectatissimi,  
*Domini Fautoris ac Promotoris sui et atem venerandi,*

**PRO LICENTIA**

SUMMOS in MEDICINA & CHIRURGIA HONORES,  
insignia ac PRIVILEGIA DOCTORALIA, More Majorum  
rite & legitime capeffendi,  
Publico MAGNIFICI & AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI  
*Examini sistit,*

**DANIEL PHILIPP VASMAR, Mindanus.**

IN AUDITORIO MAJORI  
D. 4. Februarii Anni M DCCI. *horis consuetis.*


*RINTHELII*, Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.





DEO,  
PATRIÆ,  
PARENTI,  
ET  
AMICIS  
SACRUM.





§. I.



on ignobilis, sed magni  
admodum momenti, & ardua  
certè in foro Medico materia est,  
quæ vulnerum lethalityatem nobis  
exhibet, eandemque ex tricis  
contrariarum circa diagnosis ob-  
servationum in apricum deducit.  
Quamobrem haud incongruè ma-  
gnus scribit *Hippocrates*: Vita bre-

vis, ars longa, occasio præceps, experientia fallax, judi-  
cium difficile. *Aphor. 1. Sect. 1.* Dies enim diem docet, &  
omnibus constat, quod Recentiorum observationes, Anti-  
quorum dogmata effataque, ad experientiam & praxin, ceu  
lapidem lydium revocando, eadem aut probant, aut illis  
dubiis in rebus lucem afferunt. Hinc quoque iudicium de  
vulnere lethali, maturum & probe exercitatum ingenium  
exposcit, quod ea, quæ in theoria & antiquitate fundantur,  
cum praxi & quotidiana experientia, lance æquâ conjun-  
gere potest. Interim quum in magnis & voluisse sat est,  
idcirco remota omni erroris nebula, mihi hac vice, quædam,  
exercitii gratia, circa vulnere lethalityatem, sub incudem  
rectæ rationis, pro ingenii modulo revocare placuit; quod

A 2

non





non nemo ( unico excepto , sed neglecto , Momo , qui captivum venditurus operam ludit ) æqui bonique consulet , præprimis qui regiam in hoc negotio , ratione scilicet & experientia probatam mecum quarit viam : Tu autem Magne Deus , Filii Æterni , Æterne Pater , tu Verbum Patris coæternum , non creatum : Tuque linguarum restaurator sanctissime spiritus , tu Gratia tuæ favonio , meis adspires votis , quo susceptus labor , vergat in Divini tui Numinis gloriam , Justitiæ & veritatis firmamentum ac ornamentum . Quibus in antecessum præmissis , sciendum , quid in vulneribus lethalitatis nomine apud expertissimos Medicinæ Antiquitates , usu veniat , aut venire debeat ; cum *Hippocrates* ea , quæ de vulneribus lethalibus *Aphor. 18. Sect. 6.* dixerat , in *Coacis prænotionibus* , *Coaca 509.* limitare videatur . Equidem qui hætenus materiam de vulnerum lethalitate tractarunt , suas hypothesen quantum nobis innouit , ad mentem veterum evolverunt , docentium ; Vulnera esse lethalia per se , quatenus omnes taliter fauciati moriuntur , vel ut plurimum , ubi omnes , paucis tantum exceptis , expirant , vel per accidens quatenus nulli sic læsi extinguuntur ; pro ut nempe vel immediatè , vel intervenientibus aliis causis mortem inferunt ; in specie *Clarissimus Bohnius* perdoctè super lethalitate declarat , quædam vulnera , quorum apud alios , ut ipse putat , mentio nulla facta , scilicet nervorum , vasorum lymphaticorum , lacteorum ac ductus thoracici addenda , quædam ut retis mirabilis , utpote non existentis rejicienda esse : initio factò de capitis , spinæ & nervorum vulneribus lethalibus , ad colli thoracis & abdominis vulnera progrediendo . Nos tritam & mediàm ratione ordinis ingrediemur viam , tutissimè vestigiis eorum insistendo , qui nobilitatem visceribus vindicant , quibus eminentia , certo tamen respectu , negari non debet , memores alias noti brocardici : in verbis faciles , dummodo re ipsa conveniamus .





## §. II.

**P**er vulnus igitur lethale hic intelligi volo: Solutionem unitatis, in parte humani corporis, vel nobili, vel ad vitam simpliciter necessariâ, à re externa violenta, cum vitâ discrimine vel jactura, corporumque fluidorum destructione introductam. Loco generis in descriptione ponitur solutio unitatis, quæ verba denotant continui in partes integrantes separationem, continuum enim est idem ac integrum & unitum: cui opponitur quod ruptum, fractum, fissum, contusum & discissum est, quatenus fabrica & structura organi violenter ac cum impetu destruitur, sive punctim, sive casim, sive contusim, sive explosivo pulveris pyrii ictu, sive alio modo fiat, unde qui ex tali moriuntur vulnere, morte non naturali, manuque violenta, vulgo periisse dicuntur (i. e. *Sie sind keines natürlichen Todes gestorben*) reliqua apposita verba adduntur loco differentia & exprimunt subjectum, causam, uti etiam effectum.

## §. III.

**V**ulnus proinde lethale subjectum agnoscit vel partem nobilem, vel eam, quæ ad vitam simpliciter necessaria: hæc distinctio communi doctissimorum Medicinæ Scrutatorum consensu recepta, atque sat luculenter comprobata est. Nobilis enim vel principalis dicitur pars, ratione structuræ sive conformationis, situs, usus, & actionis, habito respectu ad alias, quibus tanta eminentia non debetur, quo nomine cerebrum, cor, hepar, tria scilicet nobilium partium in suprema, media, & infima humani corporis regione; principatum aliquatenus præ cæteris meretur, quod nemo negabit, qui operosam dictorum viscerum conformationem, eminentem actionem & usum, altius ad mentem Antiquorum, juxta ac Recentiorum, dexterrimasque



que eorum observationes paulo accuratius perpendit. Pars vero ad vitam simpliciter necessaria dicitur, quæ ejusmodi fungitur munere, quo vivi carere non possumus, & cujus sublato usu, vita cessat: quales sunt Pulmo, diaphragma, &c.

§. IV.

**H**is enucleatis, sequitur causa procatartica, cum aliam non agnoscat vulnus; est ea res externa, violenter continuum solvere apta nata, ut quodlibet armorum, nec non aliarum rerum genus, sclopetum, gladius, pugio, culter, malleus, lapis, fustis, & id generis alia: reliqua in definitione notata verba, exprimunt differentiam & effectum. Quædam enim vulnera contingunt cum vitæ dispendio h. e. summo periculo, alia infliguntur cum vitæ jactura, quibus inevitabili necessitate, mors vel mox, vel intra dies criticos succedit; & hujusmodi vulnera dicuntur absolute & simpliciter lethalia, cum priora dicantur lethalia ut plurimum, *ως ἐπὶ τὸ πολὺ*, quatenus interdum curantur.

§. V.

**A**d informandum ulterius super lethalitate vulneris judicem, necesse etiam est, ut (1.) inspectio secundum *Constit. Crimin. Caroli V. Artic. 149.* sit legalis, h. e. à Medico & Chirurgo debite requisitis, in præsentia Magistratus instituat, ad dandum, si opus, clarum de qualitate vulneris testimonium. (2.) Ipsa vulneris qualitas, cum symptomatibus vulnerati, per vocabula artis usitata, cum omnibus circumstantiis (quas egregie exprimit *Celsus Lib. 5. cap. 26. §. 6.*) dilucidè, accuratè & sufficienter describitur, ac quidem cito post mortem, antequam cadaver putredinali inficiatur sorditie. (3.) Responsum ipsum Medicus propria, si fieri potest, manu scribat, & cum Chirurgo sub-



subscribat, ne postea in aliquibus dissentire videantur; quibus vero neglectis, sententia erit dubia, reumque cum prostitutione artis, nec condemnare nec absolvere potest.

§. VI.

**S**ingularem vulnereum lethalium seriem recenset nobis Hippocrates Aphor. 18. Sect. 6. dicens: Vulnere vesicæ, cerebri, cordis, septi transversi, intestini tenuis, ventriculi ac hepatis, sunt lethalia, quod tamen limitare videtur Coaca 509. verbis: Moriuntur maxime ex vulneribus, si quis cerebrum sauciatus fuerit, aut spinalem medullam, aut hepar, aut septum transversum, aut cor, aut vesicam, aut venam crassam. Moritur etiam, si in arteriam & pulmonem valde magnæ plagæ fiant, ita ut pulmone percusso, paucior spiritus per os procedat, quam is est, qui ex vulnere elabitur. Moriuntur autem, qui in intestina vulnerati sunt, siue ex tenuibus aliquod siue ex crassis vulneratum fuerit, si per transversum fiat plaga & magna, si vero parva & recta, quidam evadunt; minime vero moriuntur vulnerati in partibus corporis, ubi hæc non sunt, aut ab his quam longissimè absunt. Pariter quoque Cornelius Celsus Strenuus Latinorum Hippocrates, Lib. 5. cap. 26. Divini senis vestigiis insistit, verbis: Servari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui jecinoris portæ, cui in spina medulla percussa est, cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius intestinum, aut ventriculus aut renes vulnerati sunt, cuive circa fauces grandes venæ vel arteriæ præcisæ sunt; vix autem ad sanitatem perveniunt, quibus ulla parte aut pulmo, aut jecinoris crassum, aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lienis, aut vulva, aut vesica, aut ullum intestinum, aut septum transversum vulneratum est. Hi quoque in præcipiti sunt, in quibus usque ad grandes, intusque conditas venas, in alis vel poplitibus mucro desedit; periculosa etiam vulnera sunt, ubicunque venæ





venæ majores sunt, quoniam exhaurire hominem profusione sanguinis possunt. Verum enim vero cum Hippocrates quorundam cerebri vulnerum curationem *Tom. 2. in Lib. de vuln. Cap. p. m. 687. & seqq.* sat evidenter demonstraverit, Galenusque cerebri vulnus, semel Smyrnæ vulnere axiologo i. e. majusculo existente curari viderit; qua de re prolixius *vid. Galen. in Comment. ad Aphor. 18. Sect. 6.* idcirco vulnera lethalia in specie & singulatim dignoscenda sunt, dummodo unum atque alterum dubium prius resolutum fuerit, quod ipsum in proximè subsequituris paragraphis juxta servatum ibidem ordinem facturi sumus. Interim tamen de vulneribus absolute & simpliciter nec non ut plurimum lethalius legi possunt *Dan. Sennertus Pract. Lib. 5. part. 4. cap. 3. & Francisc. Joel Chirurg. Gen. pag. 156. & seqq.*

### §. VII.

Quo itaque à cimмериis tenebris illorum examen vindicetur, audiamus, quid dictum sit in paragrapho secundo; ubi (1.) notavimus vulnus lethale fieri cum discrimine vel jactura vitæ, scilicet totius hominis & omnium ejus partium, ad differentiam unius vel alterius partis, quam haud raro ob inflictum vulnus mori contingit, superstitè adhuc manente hominis vitæ. Sicque Zythepfa Delphensis apud *Forestum observ. Chir. Lib. 1. obs. 14.* curatus legitur, etiam si ejus pes, ad calcaneum, ob infelicem clavi *Epithoræ* excisionem, & paulo post insequentem contusionem, subsecutis gangræna ac tandem sphacelo mortificatus excidisset. (2.) In eodem paragrapho, circa partium ad vitam simpliciter necessariorum vulnera, vox SIMPLICITER addita notari debet. Cum enim infinita DEI Majestas, cum absolutissima, & ad exercendum actiones liberrima potentia hominem condiderit, omnium partium adminiculo opus habet, sed non simpliciter, cum mutus, cæcus, mancus

vive





vivere dicatur, etiamsi miseram ob quorundam membrorum vel omnimodam privationem, vel impeditam promptitudinem vitam agat.

### §. VIII.

**D**um etiam partium sive nobilium, sive ad vitam simpliciter necessariorum vulnera, non quævis juxta *Hippocratem d. l.* sed magna, profunda, & cum insignibus inflictiis plagis conjuncta sunt lethalia, eapropter progrediendum nobis erit in principio, ad partium nobilium conformationem, cum tales ex dissimilaribus uniuntur, ut pateat, an iis inflicta vulnera sint lethalia, nec ne! initio factò de cerebro ceu regia animæ, sensuum & memoriæ sede, organoque nobilissimo: quoniam vero lethalitatis ratio quinque requisita vel indicia exposcit, nempe (1.) Partis vulneratæ nobilitatem vel necessitatem. (2.) Vulneris ipsius magnitudinem & profunditatem (3.) remediorum applicandorum impossibilitatem (4.) Symptomatum gravitatem, ac tandem (5.) Periclitantis vitæ termini brevitate; eadem vulneribus lethalibus omnibus & singulis (quod probe notandum) nusquam non applicanda, extra omnem controversiam positum esse reor.

### §. IX.

**C**erebrum in supremi ventris cavitate situm, internè membranoso ac fibroso meningum operculo, externè pericranio & periostio nec non valido satis cranii vallo munitum, figuram repræsentat sphericam, supernè in duas partes laterales, falce intermediante, tanquam in duo hemisphæria distinctum: substantiæ est peculiaris, cujus etiam ratione in cinericeo coloris anfractuoso corticem molliorem, rubellis vasibus, innumerabilibusque intertextis glandulis, figura ac magnitudine discrepantibus, racematim sinctum, & candicantem medullam solidiorem, interius in

B

aliam





aliam medullarem albisimam ac duriolem, corpus callosum nuncupatam terminantem, totam vero ex tubulosis ductibus, qui in fasciculos collecti, tunicisque membranaceis involuti, nervorum nomen assumunt, constantem, dividitur: demonstrante id ipsum juxta antesignanum Clariss. *Marc. Malpighium Exercit. Anat. de visc. struct. in Ast. Phil. Anglic Ann. 1669. p. m. 749. curiosè admodum Phil. Verheyen in Anat. Corp. hum. Tr. IV cap. 4. de cerebro pag. m. 309.* Situs postea ratione in partem superiorem cerebrum, & inferiorem cerebellum dictum dirimitur: his subjacet medulla oblonga, quæ ulterius per spinæ longitudinem extensa, oblongatæ nomen amittit & spinalis induit, totaque ex meris tubulis medullaribus contexta est. Ad inferiorem ejus partem membrana arachnoides notanda, quæ inter meningés ubique est media, totique medullæ spinalis longitudini coextensa visitur. Præterea ab utriusque tam cerebri quam cerebelli protuberantia nervorum principium & spinalis dicta medulla oritur, perque maximum occipitis foramen in vertebrarum sinus deorsum porrigitur. Ipsam vero nervorum divaricationem quod attinet, nobis decem paria, admirabili sane serie disposita demonstrat *Excell. Willisus in Cerebri Anatome cap. 1. fig. 1. pag. m. 10.* quibus undecimam ac duodecimam conjugationem superaddit *Nob. Bidloo. in sua Anat. Anno 1685. Lugd. Batav. edit.* Per medium etiam cerebrum conspicuus est processus falciformis, meningum scilicet duplicatura, cujus multifarii sinus, seu ductus venosi omnium generum fibris sunt dotati, membranisque duplicaturam constituentibus firmiter annexi, profundiusque ad basin descendentes, arteriosum & venosum sanguinem continent & circulant; Incipit autem sinus falciformis à processu ossis cribrosi, crista galli dicta, & terminatur ad sinus laterales dextrum videlicet & sinistrum, qui ulterius ad inferiorem ossis occipitis sinum descendentes, specum Willisii rotundum ibidem formant, &



& ad jugularis venæ exitum feruntur, quartus à basi glandulæ pinealis emergit, & lateralibus inferitur. Porro infra processum petrosum utrinque adhuc porriguntur bini sinus exiles, & ad sellam equinam producuntur, ab hæc bini breviores alii, in utroque latere deorsum ad venæ jugularis exitum tendunt: Præter hos ad vertebrarum limites sinus vertebralis annuli instar medullam spinalem cingit; est vero horum communicatio ad sellæ turcicæ processum posticum, quæ productio sinus transversalis vocatur, è qua protensio versùs vertebralis commissuram dicitur fretum. Tandem occurrunt bini sinus in cavitate ossis cuneiformis *πολύμορφοι* appellati, qui cum vena jugulari interna communicant, quorum omnium connexio probe notanda: sinus quippe falciformis cum quarto annectitur lateralibus, & cum his versùs venam jugularem tendit, utrinque vero communicant cum sinibus sellæ equinæ, qui cum inferioribus & vertebralibus per fretum ad transversalem uniuntur: de quibus prolixius *vid. solertiss. D. Joh. Frid. Ortlobs observ. in Act. Erud. An. 1696. Mens. Apr. pag. m. 163.* His ita examinatis in conspectum veniunt famosi cerebri dicti ventriculi, una cum fornice, corpore striatum glanduloso, thalamis opticorum ac septo lucido, in horum vero cavitate plexus choroides, è membrana, arteriis, venis, ac vasis lymphaticis tenuissimis contextus, partim à carotidibus internis & jugularibus, partim à ramulis sinus quarti derivatis, quibus insuper plures exiguæ glandulæ intertextæ sunt, observante *Doctiss. H. Ridley Coll. Med. Lond. Soc. in Act. Erud. Ann. 1696. Mens. Maj. cap. 7.* Iidem etiam ventriculi non procul ab hinc juxta glandulam pituitariam rete mirabile, cœu mirum Venarum & arteriarum innumerabili quo ad plexum choroidem anastomosi invicem sese exosculantium apparatus monstrant, quæ cum aliis operosum æque ac spirituum animalium proinde-







que sensuum interiorum & exteriorum motusque localis organon constituunt nobilissimum, ut sanguine ex majoribus arteriis in minores, & minimas propagines, per fibras & glandulas tandem in venas & nervos transcolato, & fordibus pituitosis ad emunctoria debite rejectis filtrato, spiritus animales ceu animæ rationalis instrumenta purius generentur, & nervos ad nutum animæ inflare ac collustrare possint. Sicque ex hac consideratione glandula pinealis inter crurum cerebri medullæ protuberantias, nates puta ac testes, circa tertium ventriculum sita, præ pituitaria aliisque colliculis vicinis singularem eminentiam vix mereri videtur, dum ab aliis glandulis conglobatis discrepat minime, *vid. Adenograph. Warthoni, cap. 23. 24. & 25. Bartholini Anat. lib. 3. cap. 6. Glaubergii Exercitat. 92. pag. 615.* Præterea etiam totam petrosam magnitudine nucem avellanam adæquantem, & æri proinde incisam annotavit *Berlingerius Gipsens, Professor quondam Bononiensis: testante Joh. Bapt. Contulo, in Act. Erud. Ann. 1699. Mens Sept. pag. m. 396.* Et in strumosi cujusdam pueri cerebro hydro-pico, glandulam hanc pinealem, ordinariam magnitudinem ter superasse, ac ratione lymphæ gelatinosæ contentæ transparuisse, pulchre demonstrat *H. Ridley l. c. pag. m. 201.* Eandem glandulam similiter in cerebro totam lapillis viridibus repletam, in tribus subjectis notavit *Cramerus, & cum eo Just. Vesti in Colleg. Chym. observ. Med. rar. 1. pag. m. 126.*

§. X.

**E**x his patebit, quænam vulnera cerebri sint lethalia simpliciter, nec ne? Dico itaque (1.) Vulnera cranii, qua talia, sive alterutra sive utraque lamella lædatur aut frangatur, sive cum fissura in alterutra vel utraque lamella, sive in alio & contusioni opposito loco fiant, sive in fronte, sive in bregmate, sive in occipite, sive cum muscu-  
lorum





lorum temporalium, siue etiam futurarum læsione contingant, siue per orbitam oculi, siue per os petrosum, aut alio loco infligantur, hæc inquam non ad simpliciter lethali-um, sed periculosorum & sanabilium classẽ pertinent. Cum enim calvaria sit murus & munimentum cerebri injurias removens, ad vitam simpliciter necessaria non est, adeoque vulnus ejus ut ut profundum vitam hominis non tollit, quin potius remedia admittit, symptoma-ta lethalia per se non efficit multo minus causa mortis esse potest. Ita enim *Tulpius* juvenem, ingentem cranii fracturam patientem, se sola trepanatione curasse testatur, *observ. Lib. 1. cap. 4.* Sic & qui cerebro ac pia meninge vul-neratis, sæpe in meninge dura propullulat fungus, absque hæmorrhagiæ metu excindendus præcipitur, à *Guil. Cowper.* in *Anat. corp. hum. fig. 8. vid. Act. Erud. Ann. 1699. Mens. Febr. pag. m 49.* Quemadmodum etiam hunc in modum notabilis contigit casus, Anno 1696. me præsentem in Aca-demia Regiomontana: dum Vir Generosus, cujus caput aliquot retro annis, acinace (alias *Säbel*) vulneratum in Hungaria, atrocissimis capitis doloribus vexatus, ob cavitatem cariosam, stylum majorem ad duos digitos trans-versos admittentem, in concursu futurarum, coronalis nempe ac sagittalis, ex consilio *Excell. ac Experient. Me-dicorum, Dni. Frid. Lepneri, M. D. & P. P. Dni Phil. Jac. Harttmans, Ph. & M. D. ac P. P. Dni. Joh. Gottscheds, M. Lic. & P. P. & Dni. Adami Harwecks, M. D. & P. P. Præ-ceptorum atque Patronorum meorum, nusquam sine debito ho-noris cultu nominandorum, trepanationem sustinuit, & qui-dem primam prope dictum futurarum concursum, secun-dam vero ac tertiam prope suturam lambdoideam, quibus demum ad unum triangulum singulari ad hanc operatio-nem confecta ferra redactis, in conspectum venit fungus ingens cerebri, cum cruore sanguinis intra meninges & cranium propullulans; qui autem debitis adhibitis medica-mentis*



mentis penitus à meningibus separatus, sicque quam felicissime æger sanatus est. Vulnere itidem profunda musculorum temporalium in duobus subjectis, Lugduni Gallorum ad cicatricem rursus esse perducta propria corroborat experientia *Joh. Bohnius in renunciat. Vuln. pag. m. 178.* quod pariter & nobis Regiomonti Borufforum aliquoties visum est. Dico nec non (2.) vulnera cranii per meninges in corticem & medullam cerebri penetrantia, sinibus ventriculisque & plexu choroide illæsis, ad vulnere non simpliciter, sed periculoso & ut plurimum lethali classem pertinere. Quamvis enim cerebrum sit pars nobilis, vulnusque profundum, graviorum tamen symptomatum absentia & remediorum applicandorum possibilitas pro vulnerante militant, imprimis cum quosdam sic vulneratos evasisse rursus, experientia testetur, *vid. Paulus Ammannus Med. crit. cas. 46. pag. m. 244.* Et notum quoque est telum, quod cum annexa tabula ejus descriptionem exhibente, in bibliotheca Electorali Brandenburgica, Regiomonti, curiosis monstratur oculis, hoc enim profunde olim sauciavit cerebrum Nobilis Colonelli (si ita loqui liceat) sed tandem per palatum cum salute ægri exivit. Similiter etiam prodigiosa ac deplorata cerebri vulnera, cum ejusdem substantiæ effluvio & jactura, percurata leguntur apud *Schenckium lib. 1. observat. Medicinal. observ. 40. usque ad 47.* Præterea dico (3.) vulnera profunda cerebelli, æque ac cerebri, cum fractura cranii & particulis ossium acutis per corticem in medullam cerebri adacta, cum ventriculorum, sinuum, & plexus choroidis læsione, sanguine extravasato, grumescente putrescenteque, & vulnerato apoplectico ac sine sensu & motu facto, simpliciter & absolute esse lethalia, cum pars nobilis profunde sit vulnerata, remedia non possint applicari, symptomata gravissima statim superveniant, & tandem mors vel mox,

vcl





vel intra dies criticos succedat: hæc ita experientia teste esse vera, sequentia illustrabunt præjudicia.

§. XI.

Cerebelli vulnera profunda, esse lethalia per se, asserere non dubitamus, cum cerebello vel adempto, vel profunde sauciato, cerebro licet illæso, spinalique medulla intacta, animalia illico mori observaverit *Bohnius d. l. pag. 230.* in catellis; quod æque *Perrault* ac *Vieussen* ante eum cum veritate tentarunt. Deinde vulnus inter nasum & sinistri oculi canthum majorem per cranium in cerebrum penetrans ægro mox in terram prostrato, obmutescente, evomente nec non apoplectico reddito, ac postero die extincto: lethale pronunciavit *Facult. Med. & Chir. Lipsiens. d. 26. Septembr. Ann. 1626.* & quidem absolute ac simpliciter; cum æger per mediam cerebri medullam ventriculosque ad basin usque vulneratus fuerit, ita ut intercepto & sublato spirituum animalium motu, velut fulmine ictus concideret stupidus, quin mutua tandem cordis cerebrique actione sublata brevi horarum spatio suffocatus moriretur teste *Doct. Welschio Rat. vuln. leth. jud. cap. 3.* Pariter quoque cuidam Prusso inflictum vulnus, ad dextri oculi canthum majorem, profunde in ipsam cerebri substantiam penetrans, cum ventriculorum & sinuum læsione, ægroque statim aphono, ac cum magno sanguinis profluvio in terram prostrato, eodem nec non die extincto, meo tempore pro absolute lethali habitum à *Medico & Chirurgo in Lithuania Anno 1698.* Quemadmodum vero ob cranii soliditatem raro punctum, & non nisi per orbitam oculi vulneratur cerebrum, sic sæpius cæsum ipsi infliguntur vulnera lethalia, in horum autem classe non infimum sibi vendicat locum, vulnus in sinistro latere digiti unius longitudine per os sinicipitis utramque meningem & corticem, digiti unius





unius ac dimidii latitudine, in medullam cerebri ad os petrosum usque penetrans, cum copioso sanguine coagulato, putrescente, totoque cerebri hemisphærio ibidem purulenta materia obducto, ac duabus fissuris in osse occipitis digiti minimi longitudine, multisque calvariæ fragmentis asperis junctum, ægroque sexto ab accepto vulnere die obeunte, pro absolute lethali ex dictis rationibus habitum: teste *Welsch* l. a.

§. XII.

**R**eferuntur etiam ad enarrata, cerebro inflicta vulnera, ea quæ globulis è sclopetis præsertim cominus emissis contingunt, omnium enim gravissima & periculosissima, ob ictus vehementiam, insignem fracturam, empyreuma, & cœtera lethalia exinde provenientia symptomata existunt, adeoque brevi intervallo, practicum corroborante industria, suum absolvunt pensum. Itidem graviore sine fractura cranii factæ contusiones, quando scilicet ob vehementem cerebri commotionem vasa sanguiflua aut lymphatica rumpuntur, hi vel illi furculi nervorum & fibræ radicales præter naturam contorquentur comprimuntur, laxantur, aut tenduntur, proque varia horum læsione, phœnomena mortalia inferunt. Unde & aponia producitur juxta *aphorism. Hippoc. 58. Sect. 7.* cui aliquando surditas sopor gravis, apoplexia, convulsio ac mors superveniunt, testante *Macedone apud Hippoc. lib. 5. Epidem. num. 59. pag. m. 786.* qui quendam lapide in caput percusserat ut corrueret, quartoque die convulsus moriretur. Hoc assertum etiamnum confirmatur in muliere apud *Heuricum ab Heer observ. 12.* quæ pugno percussa ad nasi radicem, apoplectica facta & mortua, in cujus cranio post inspectionem sanguis coagulatus plexum choroidem & rete mirabile comprimens inventus est. Assimili pariter modo contusionem





fionem musculi temporalis oculi & auris in sinistro latere absque fractura cranii, cum lesione vasorum, piæ matris, & sanguine coagulato, ventriculos cerebri opplente, lethalem edixit, *Facult. Med. & Chir. Lipsiens. Anno 1625. d. 10. Aug. restè Welschjo.*

§. XIII.

Præterea contusim vulneratur cerebrum, cum fractura calvariæ, in alterutra vel utraque lamella fissura, contrassura, aut subsidentia existente (cranio separato reflexo & cerebrum cum vasis arctius comprimente) insuper ac fragmentis aliquot à læso osse decidentibus, & convulsionem causantibus; quæ circumstantiæ vulnus limitant, & probe attentis lethalitatis signis, gravius reddunt aut levius. Sicque contusio sincipitis ad futuram sagittalem leviter tractari non debet, sed ob vasorum copiam & magnitudinem attentionem meretur, secundum effatum *Hippocratis lib. de vuln. cap. 9. 3. p. m. 689.* Quemadmodum etiam contusionem cerebri cum fissura cranii & ruptione vasorum, cerebro ac pia matre sanguine coagulato oppletis, ægroque corruente, apoplectico facto, & circa horam matutinam moriente, *Facult. Med. nec non Chir. Lips. Anno 1593. d. 26. Mart.* lethalem pronuntiavit. Simulac contusionem cum fissura cranii, secundum utramque laminam, concussione cerebri ingente, ruptione vasorum, collectione grumosi sanguinis, inter cranium & duram matrem ad aliquot uncias, cum convulsione, aponia, sensuum omnium privatione & affectu soporoso subsequente absolute lethalem edixit dicta *Facult. Med. ac Chirurg. Lipsiens. Anno 1611. d. 11. Febr.* Pari non minus modo, contusio cum fractura & subsidentia cranii, circa futuram coronalem, cerebro ibidem profunde, læso & compresso, cum copia cruroris, privatione sensus & motus ac demum convulsione

C

ab





ab eadem Facult. Med. & Chirurg. Lipsiens Anno 1649. d. 8. Febr. pro absolute & simpliciter lethali habita teste *Welsch* d. l. Singularis quoque casus est sequens, cum aliquot retro annis, civis lubbeccensis in osse frontis, ad sinistram latus, prope suturam coronalem, urceo cerevissâ pleno contusim læderetur; ægro sequentibus diebus, neglecto vulnere, ambulante, in convivio hilariter componente, sed nono aut decimo die post subito aphono, apoplectico & convulso facto, tandem die undecimo mortuo. Medicus & duo Chirurghi in præsentia Magistratus cranio aperto (nam externè notatu dignum nil occurrebat) neque fracturam, neque fissuram, multo minus sanguinem coagulatum in regione loci contusi inveniunt, sed aliquot digitis transversis à loco concusso contra fissuram in interiori lamina repertam in forma semicirculi *von der Größe eines getheilten Marien-Groschens*, monstrant Magistratui. Remota vero dura & pia matre, cortex cerebri in sinistro latere magna copia purulentæ materiæ oppletus conspicitur, quæ materia cerebri medullam, usque ad basin ultra os petrosum corruperat. Testantur itaque copiam puris arte medica removeri non potuisse, sed ægrum gravitatis symptomatum ex necessitate succubuisse, in ambiguo tamen relinquendum esse an percussio mortis causa fuerit nec ne? cum æger ante contusionem vel abscessum vel dispositionem ad eundem probabiliter habere potuisset, quod sanguis grumosus cranio aperto non apparuisset. At Magistratus hoc responso non contentus, per subsidiales cogit Medicum & Chirurgos jurato respondere ad articulos, quæ consuetudo sane molesta est Medico, qui juramento Hippocratis in Academia astrictus est, nec iudex ad quamlibet dicendam sententiam juramento obstringi soleat.

S. XIV.





## §. XIV.

**A**d dandum legale testimonium supra lethalityatem vulneris §. 5. & 8. recensita requisita necessaria esse, illustrat inter alia vulnus laevo bregmatis ossi inflictum, quod Nobilis *Nicolaus de Peccarel* à *Siegfrido ab Orzen* acceperat, relicto in cranio pugionis mucrone, quinto vero morbi die paulo violentius extracto, septimo insuper Ægro convulso moriente; qui autem actionibus tam vitabilibus quam animalibus integris, ante extractionem ferri, nullam exinde percipiebat incommoditatem, id enim vulnus Medicus Aulicus Megapolitanus *Joh. Schlezernus* absolute lethale pronuntiavit. *Facultas vero Medica Rostochiensis* ob neglectam extincto ægro inspectionem cerebri absolute lethalius annumerandum minime censuit d. 6. *Novemb. 1615.* quod etiam responsum *Facultas Medica Lipsiensis* confirmavit d. 9. *April. 1618.* teste *Paulo Ammanno Med. Crit. Caf. 10.* Sic & per orbitam oculi dextri punctum fauciatum militis, excubias agentis, vulnere per meninges & corticem in cerebri medullam duorum digitorum latitudine penetrante, cum ossium fragmentis asperis, ægro licet quo ad actiones vitales & animales bene se habente, medicinam negligente ac ambulante, sed tertio die post derepente extincto, inspecto, *Medicus & Chirurgus* illud lethale pronuntiarunt in *Borussia* d. 29 *Octobr. 1697.* cum tamen in responso graviorum symptomatum, partiumque lassarum, scil. sinuum, ventriculorum, plexuum &c. mentionem non fecissent, nec æger accepto vulnere protinus obmutisset juxta *Aphor. Hipp. 58. Sect. 7.* quin potius iratus ob acceptum vulnus redditus injuriam cum instrumento suo militari vulgo *Bardische* vindicaturus in hæc verba erumperet, *du solt man sehen wie ich dich tractiren wolte / wenn ich müste / daß du es gethan hättest /* & paulo post ad suos com-





miliones: Sie solten mir wol das Auge aus dem Kopffe gestossen haben; quod testimonium ob notatam mortalium symptomatum insufficientem expressionem, illegalitatis censuram mereri videtur. In simili aut non valde dissimili casu, vulnus contusim inflictum, mit einer Artkopff fragmentis cranii per meninges & corticem digiti transversa latitudine in medullam cerebri penetrantibus, copioso ac grumoso sanguine coagulato isthic loci putrescente, medullaque cerebri foetente, ægro tamen protinus accepto vulnere non corrueute, sed ambulante, saltante, aliosque in diata errores committente, decimo interim die moriente, *Chirurgus* lethale, *Facultas vero Medica Lipsiensis* non lethale edixit d. 31. Jan. Anno 1642. teste *Ammanno cas. 46.* Sic etiam contusionem capitis, cum compressione cranii, nec non fissura multiplici, laminæ inferioris, corruptionem cerebri efficientibus, ita ut vulneratum tertio die febris, quinto paralysis dextri lateris cum amissione vocis, nono demum epilepticæ convulsiones subsequente morte corripuissent, non lethalem *Facult. Med. Lipsiens.* ex adductis antea rationibus, & quod vulneratus juxta *Aphor. 58. Sect. 7.* protinus vocem non amisisset, pronunciavit. Anno 1645. teste *supra citat. Ammanno Cas. 48.* Quin imo quod cerebri istum in modum læso, per plurimi ad sanitatem perveniant; inductione evidenter satis ostendi posset, si tempus permitteret, interim è pluribus etiam *Johannem Semlin,* oppingensem ex agro Ulmenſi Anno 1627. *Mense Novembri* gravem cerebri concussionem patientem, adeo ut sanguis per nares & aures deflueret, ipse humi prostratus mortui instar jaceret, tertio & quarto die febre & motibus convulsivis subsecutis, 15. die mutus ac surdus fieret, denique 24to die superveniente diarrhæa & tandem abscessu humeri homo die iterum convaluisse notum est, ex *Joh. Schultzei Armament. Chir. observ. 90.* His jam jam adductis  
plura





plura equidem testimonia requisitorum necessitatem, Chirurgorum ignorantiam, insufficientem vulnerum inspectionem, & annexam relationem illustrantia adhuc superaddi possent, nisi brevitati studendum, nobisque ad alia transferendum esset. Interea tamen evolvi possunt *Casus* 54. 71. 78. & 93. apud *Paul. Ammannum*, & ex responsis *Facultatis Medicæ Lipsiensis* apparebit, inspectionem vulneris (1.) ob neglectam apertionem cranii non esse legalem, aut (2.) contusionem ipsam absolute non dici lethalem, aut (3.) percussionem cum pedo factam propter insufficientem inspectionem non extitisse per se lethalem, vel denique (4.) Vulnus cranii & cerebri non fuisse lethale simpliciter ac absolute, & quidem contra testimonia Chirurgorum loci.

§. XV.

**H**actenus de cerebri vulneribus actum, quibus ob fatu-  
rum similitudinem adhærent ea, quæ ipsi insiguntur  
spirituum diversorio, quapropter Dico (4.) vulnera profunda principii nervorum, & spinalis ita dictæ medullæ, quatenus illud cerebro ac cerebello intra cranium adhæret, hæc vero quatenus profunde ac in superiori parte vulnerata est, & nec ultra quam ubi circa medias cervicis vertebrae in spinas delabitur esse absolute & simpliciter lethalia. Principii enim nervorum & cerebri vulneratorum, eadem est conditio, eadem sunt symptomata, idemque plane eventus. Spinali vero medulla, dicto modo transversim vulnerata, motus spirituum ad cor, musculos intercostales & diaphragma tendentium, penitus tollitur, adeoque cessante respiratione, vulneratus suffocatur, aut convulsus moritur. Qua ratione vulnus cultro intra quartam & quintam cervicis vertebrae spinali medullæ ad munubrium usque intruso, inflicto, septimo die ægro moriente, pro lethali habuit

*Facult.*





*Facult. Med. & Chir. Lipsens. Anno 1641. teste Welschio cap 3.*  
Simulac jactum lapide nuchæ, palmæ latitudine supra  
collum inflictum, cute cranio integro, sed magnitudine  
thaleri ab eo sejunctâ, ægroque subito in terram prostrato,  
obmutefcente, & cum omnimoda sensuum ac motus pri-  
viatione stupido facto, torvo etiamnum alterutro oculo &  
rigido permanente, quartoque postmodum die mortuo,  
cum cranio & dura matre livida, sub eadem vero cochle-  
ari grumosi ac concreti sanguinis reperto, absolute lethale  
pronunciavit *Facult. Med. Lipsens. d 7. Maji Anno*  
*1628.* eo quod nec trepanatio, multo minus emplastra,  
clysteres, venæ sectio, concretum & sub meningibus la-  
tentem sanguinem removere potuissent *vid. Ammannum*  
*cas. 23. & Coac. 499.* Præclarum etiam exemplum filii  
Lamberti Erpini, pugione in medulla spinæ icti, cum  
omnimoda alvi & vesicæ obstructione, intumescencia ab-  
dominis, febre ac sudore frigido subsequente, tertioque  
post inflictum vulnus die morientis notandum, quod apud  
*Nic. Tulpium observ. Lib. 3. cap. 27.* reperitur: an vero hoc  
ad vulnera simpliciter lethalia referri debeat, est de quo  
adhuc dubito, ut ut enim ob denegatum spirituum influ-  
xum, & collectionem excrementorum gravia sympto-  
mata producerentur vesica insuper ac intestina stupida & in-  
sensilia redderentur, nec remediis obedirent, cum tamen  
locus spinæ læsus non sit additus, nec extincto ægro inspe-  
ctus responsum in ambiguo adhuc relinquendum esse cen-  
seo. Nam spinali medullæ in inferioribus partibus inflictas  
plagas non esse absolute lethales, probat vulnus cultro inter  
nonam & decimam thoracis vertebram spinam saucians,  
ægro die undecimo cum involuntaria excrementorum re-  
jectione, moriente: quod duo *Medici & Chirurgus* ob  
interceptum spirituum è medulla spinali influxum, simpli-  
citer & absolute lethale pronunciarunt *d. 1. Octob. An. 1647.*  
Colle.





*Collegium vero Medicum Wittenbergense* ob illætos nervos à cerebro prodeuntes & spiritus visceribus thoracis & abdominis dispensantes, vulneribus absolute & simpliciter lethaliibus annumerari minime censuit *d. 1. Novembr. Anno 1647.* Cui responso ex eadem ratione, scilicet quinto & sexto nervorum pari intacto manente, assensum præbuit *Facult. Med Lipsiens. d. 6. Novomb. Anno 1647. teste Ammanno Cas. 49. pag. 249.*

### §. XVI.

**P**ræcipuum quod fluxum & refluxum sanguinis ac obsequiosum spirituum animalium motum regit, jusque vitæ & necis plane regium exercet, cor inquam: viscus est in thorace situm, pericardio exiles nervos à pari vago admittente involutum, exterius ad basin utrinque habet auriculam, interius dextrum & sinistrum carnosio sepimento distinctum ventriculum, ex quibus vena cava & vena arteriosa, arteria itidem aorta & arteria venosa, cum miris valvularum, respectivè triangularium, tricuspidae, mitralium ac semilunarium appendiculis prodeunt. Dico itaque (5.) Vulnera cordis quot quot substantiæ ejus altius infliguntur, faucibus vel ventriculis vel auriculis vel hisce adherentibus majoribus vasibus, venis puta & arteriis, omnia & singula, unico excepto pericardio, si solummodo illud sigillatim vulnerari contingat, absolute & simpliciter esse lethalia. Nobilissima enim actio cum suo organo destruitur, vulnus manu tractari nequit, ipsius vitalis nectaris influxus prohibetur, insuper etiam tota hæmatosis cessat, sicque spiritibus exhaustis, nec non balsamo vivifico dissipato, sudor frigidus cum syncope succedunt, & tandem mors ultima linea rerum. Hac igitur ratione vulnus in dextro latere factum, ac per pulmones dextrumque cordis ventriculum ad costas usque sinistri lateris penetrans, ægrumque  
mox





mox interimens absolute lethale pronunciauit *Facult. Med. & Chir. Lipsenf. d. 29. Jan. Anno 1658.* Eodem ut & modo vulnus profundum, dextro cordis ventriculo oblique cultro inflictum, ægro post acceptum vulnus per Haffniam ambulante & quinto demum die moriente lethale habitum *Anno 1653. teste Bartholino Cent. 1. observ. 77.* Similiter vulnus substantiam cordis, ventriculum dextrum, truncum venæ cavæ & arteriæ magnæ faucians, ac ægrum illico extinguens simpliciter lethalibus annumerandum esse censuit dicta *Facult. Med. & Chir. Lipsenf.* Hic quoque ob raritatem notandum unum vulnus, penetrans per hepar ac ventriculum in septum transversum; alterum vero per membranas mediastinas & involucrium cordis in profundissimum dextri ventriculi recessum, copiosa sanguinis effusione subsequente, ut illi undiquaque innataret nobilissimum hoc viscus, ægro circa finem diei secundi demum moriente, quod habet *Tulpius lib. 2. observ. cap. 18.* Nec non vulnus miraculo simile, dextri cordis ventriculi ferè contabescentis, ægro decimo sexto post acceptum vulnus die tandem moriente *teste Dan. Sennerto præct. lib. 5. part. 4. cap. 3.* Ast non tantum cordis sed & vicinorum grandium vasorum utpote subclavium, iliacorum, jugularium interiorum, & carotidum vulnera ob insignem ac copiosam sanguinis extravasationem, & curandi ἀδυναμίαν, ad simpliciter lethalium classem pertinere, frequentes nos edocent observationes. Sic enim vulnus in dextro latere per primum pulmonum lobum, & supra cordis auriculam dextram, per truncum arteriæ magnæ è corde emergentem versus costas tendens, ac ægrum subito jugulans absolute lethale edixit *Fac. Med. & Chir. Lipsenf. d. 19. Octobr. 1649.* Itidem vulnus profundum in dextro latere punctim per costarum interstitia ad spinam dorsii usque factum, venam cavam & bronchia lædens ægrumque statim enecans pro absolute lethali habuit eadem *Facult. Med.*





*Med. & Chir. Lipsiens. d. 26. Aug. Anno 1621.* Præter hæc etiamnum vulnus in sinistro latere digiti latitudine inter sextam & septimam costam pulmonem & venam cavam. dirumpens, succedente statim copioso sanguinis fluxu, & respirandi difficultate, ægrique morte, absolute lethale esse judicavit laudata *Facult. Med. & Chir. Lips. d. 7. Martii 1631.* teste *Welschio d. l.* Adeoque exemplis clarius demonstratum est, prædictum in modum læso, vitalis reipublicæ clavo, ejusque vasis, nil quicquam contra illatam mortis violentiam, efficere valere artis vigilantiam: hinc progredimur ad.

§. XVII.

**H**epar, quod est viscus glandulosum, in dextro hypochondrio situm, ac tenui admodum membrana à peritonæo originem ducente circumdatum, hoc gibba sui parte diaphragmati succumbit, & per plurima ligamenta variis annectitur partibus, quamobrem & ad facilitandum respirationis negotium sequitur motum diaphragmatis. Venas accipit à cava, in convexa vero, à vena portæ: illa, diaphragma egrediens imæ statim inseritur hepatis parti, & in tres dispefcitur ramos insignes, qui ulterius in varios subdivisi surculos, ipsam totius visceris substantiam densissimo agmine percurrunt; hæc vero utraque extremitate dividitur in ramos numerosos, ac per totum parenchyma coextenditur, utriusque autem propagines ita immediatè multis in locis connectuntur, ut sanguis commode ex ramulis venæ portæ in surculos cavæ transfundi queat. E concava parte simul egrediuntur bini ductus excretorii, unus canalis nempe hepaticus crassorem, alter vero cysticus, seu ipsa fellis vesicula tenuiorem ac magis flavam transsumens bilem, tribus constat tunicis, extima ex fibris albicantibus vario atque irregulari tractu deductis contexta, nervisque ac vasis sanguiferis copiosis variegata, media

D

muf





musculari ex fibris quadantenus carnosis externi nec non interni ordinis composita, & intima nervosa quæ insuper crusta obducitur mucosa, & glandulis quam plurimis ad lymphæ separationem necessariis dotata est; duo hic canales, circa intestinum duodenum concurrentes, constituunt ductum communem. An vero hepaticus cum cystico communicet, de eo inter Anatomicos lis est: licet enim quatuor ductus hepatico-cysticos, cum totidem distinctis orificiis in vesiculam hiantibus clare admodum demonstrarit *Phil. Verheyen in Anat. Corp. hum. Tr. 2. cap. 15. de hepate.* In contrarium tamen folliculo fellis evacuato, & ductu cystico ad aliquam ab istius cervice distantiam ligato, flatibusque copiose in porum hepaticum intrusis, ne quicquam in folliculum penetrare asserit *Guil. Cowper Tab. 38. in Ast. Erud. An. 1698. Mens. Febr.* Arterias tandem subministrat dexter cœliacæ ramus, nervos par vagum, qui tamen per tunicam tantum, non vero propriam ejusdem substantiam disperguntur, ubi simul vasa lymphatica quam plurima conspiciuntur, quæ lympham ceu vehiculum ad receptaculum chyli vehunt. Quibus præsuppositis dico (6.) profunda hepatis vulnera, tam concavæ quam convexæ parti inflicta, cum læsione sive trunci sive majorum minorumque ramorum ac ramulorum venæ cavæ vel portæ, nec non vesiculæ fellis & pori cholidochici, esse absolute lethalia: Cum sanguis nec sisti nec vulnus manu tractari possit, succedentibus statim dejectionibus cruentis, vomitu, & tandem ob virium dissipationem morte; dixi cum læsione, quod probè notandum, nam vulnera hepatis, in ipsam substantiam aut superficiem adacta, absque læsione majorum minorumve vasorum, non sunt simpliciter lethalia, sunt etenim absque magno sanguinis profluvio & vel sua sponte coalescunt, vel arte sanari possunt, *vid. Petr. Forestus observ. Chir. Lib. 6. obs. 3.* E contra si vasa ladanur, mortem inferunt, quod idem *Author* confirmat p. 10. ubi in Scholia addit, Delphen-





phensem ex latione venæ portæ esse mortuum : cui & af-  
fensum præbet *Galenus Comment. in Hippoc. Aphor. 18. Sect. 6.*  
*p. m. 609.*

§. XVIII.

Tam absque antecedentium præjudicio sequitur in ordine  
lien, qui in sinistro hypochondrio situm obtinet, & con-  
nectitur parte concava cum omento, ejusque interventu  
ventriculo & reni sinistro adhæret, convexa autem dia-  
phragmati aliquando adnascitur. Binis insuper vestitur tu-  
nicis extima è membranis, interna vero ex fibris sibi invicem  
mire intricatis composita: in hac fundantur multæ membra-  
nula tenuissimæ, quæ per lienis interiora excurrentes, va-  
rias efformant cellulas: quamobrem eleganter scribit *Acu-  
rissimus Guil. Cowper in Act. Erud. Ann. 1699. Tab. 36.* dicens:  
lieni copiosiores, minores tamen vindicantur cellula, intra  
venarum & arteriarum extremitates hiantes, sine negotio,  
impulsione vel flatus in venam, vel aquæ in arteriam, sal-  
va tantummodo membrana externa demonstrandæ. Cer-  
nuntur quoque præterea in singulis cellulis octo glandula  
ovales racematim arteriarum nervorumque extremitatibus  
adhærentes, quas non ita pridem detexit indefessa Neote-  
ricorum curiositas. Demum ingentem huic visceri sub-  
ministrat venarum truncum venæ portæ, qui ramus sple-  
nicus dicitur, arterias vero magnas multasque cœliacæ ra-  
mus, nervos autem per totam tunicam dispersos octavi  
pari ramus costalis sinister, quos & miro artificio conco-  
mitatur maxima vasorum lymphaticorum turba. Hoc  
igitur examine prævio, dico (7.) Vulnere lienis, cum læ-  
sione insignium vasorum, imprimis arteriarum esse absolute  
lethalia: quemadmodum etiam vulnere descendendum  
arteriæ magnæ & venæ cavæ truncorum, majorumque  
ipsorum ramorum, splenici puta, mesenterici, emulgentium





ac præprimis iliacorum itidem ad absolute lethaliū classē referri debent, cum profluentem exinde sanguinem inhibere, nec artis, nec manus dexteritas, nec doctum sufficit consilium.

§. XIX.

Quo autem prædictorum explanatio constet, audiamus, in quibus exercitatisimi Medicinæ Scrutatores, sūm nobis addant calculum: ubi statim vulnus hepatis cum magna sanguinis effusione, & subitanea morte, lethale pronunciavit, *Facult. Chir. Lipsiens. Anno 1610.* Itidem vulnus hepatis in parte inferiore cum magno sanguinis profluvio & momentaneo ægri obitu pro simpliciter lethali habuit cit. *Facult. Chir. Lipsiens. d. 19. Maji Anno 1617. teste Welschho cap. 5.* Pariter majora jecoris vasa si non simul sauciantur, vulnus quoque nec dici posse lethale, inter alia dilucidat vulnus hepatis ægrum sequenti die è medio tollens lethale dijudicatum à *Chirurgo loci d. 3. Januar. Anno 1644.* quod *Facultas Medica Lipsiensis*, quoniam vasorum læsorum mentio in relatione nulla facta esset, pro simpliciter lethali agnoscere noluit. *d. 15. Novemb. Anno 1648. teste P. Ammanno Med. Crit. cas. 55. pag. m. 289.* Vulnere vesiculæ fellis & ductus cholidochici esse lethalia, asserit *Bohnius*, & ob defectum bilis ad fermentationem chyli in intestinis necessariam, animalia mori docet: quibus aut vesicula fellis, aut folliculus ipse extirpati sunt, experimento facto in binis canibus, vesicula fellis absque ligatura ductus cystici privatis, quorum unus post 24. horas, alter post biduum, uterque cum magno ejulatu, anhelatione graviore & anxietatibus expiravit. Contrarium phænomenon expertus in simili subjecto, cui folliculum prævia cervicis ligatura extraxit, post tres septimanas vivisectioni mancipato, ubi bilis epatica eousque sufficere potuit œconomiam intestinali, ac totius  
in





in animali hoc, deficiente quamvis vesicaria, videatur idem *Author pag. 374.* Lienis ut & vulnera mortiferis accensere non veremur, cum nihil parenchymatis, seu carnis, hic reperiatur, sed tota illius compages ex cellulis seu vesiculis nerveis ac fibrosis, sanguine arterioso turgidis, coagmentetur. Unde percussione[m] sinistri hypochondrii, ægra post horulam extincta, abdomine vero cruore ad turgentiam pleno, cum fissura ingenti lienis, vasis majoribus sanguine vacuis existentibus, *Facult. Med. Lipsiens.* lethalem edixit *d. 22. August. 1682.* Pariter percussione[m] sinistri hypochondrii, ægro prostrato & brevi expirante, abdomine vero sanguine extravasato & congrumato scatente, cum tribus ingentibus & profundis fissuris lienis eadem *Facult. Med. Lips.* lethalem pronuntiavit teste *Bohvio d. l.* Descendentium etiam arteriæ magnæ & venæ cavæ truncorum vulnera, similia fata experiri, probat vulnus venæ cavæ in sinistro latere, ad vertebra[s] dorsi & regionem infimæ costæ inflictum, ægrumque statim interimens, quod absolute lethale edixit *Fac. Med. & Chir. Lips. Anno 1610.* Nec non vulnus venæ cavæ, circa os coxendicis, ad vertebra[s] lumborum factum, & subito vulneratum occidens, quod absolute lethale esse judicavit *Fac. Med. & Chir. Lips. d. 19. Maji Anno. 1628.* teste *Welschio cap 5.*

### §. XX.

Sed huc referri quoque debere vasa umbilicalia in recens natis infantibus, vel plane non, vel non debite resecta aut deligata, haud dubitandum esse autumo: Sic enim à frequentissimo sanguinis & spirituum diffusio moriuntur miselli, ac triste admodum committitur infanticidium. Hinc etiam ob non decenter præsecta nec deligata vasa umbilicalia, sanguinem per venam & arterias umbilicales copiose effluxisse, adeoque infantem ex necessitate mortuum esse, *Facult. Med. & Chir. Lips.* respondit, teste commemorato





memorato *Authore cap. 5.* Et assimili modo vasa umbilicalia, studio non deligata, absolute & simpliciter lethalia pronuciari debere demonstrat eadem *Facult. Med. Lips. d. 1. Maj. 1656.* apud *Paul. Ammannum in Med. Crit. Cas. 60. pag. 351.* Cætera quod attinet signa, pulmones utpote recens natorum infantium sanguine turgentes, ac in aqua tepida subsidentes, nec non maculæ circa collum & alibi lividæ apparentes, hæc neutiquam præbent apodictica signa commissi infanticidii; quare in consilium adhibitis his circumstantiis infanticidii rea solummodo redditur suspecta, quemadmodum id perdocte sane deduxit *Excellentissimus Phil. Jac. Hartmann. Med. D & Hist. P. P. in Acad. Regiomontana, ac Acad. Imp. N. C. Collega, Fautor noster ac Præceptor celebratissimus,* dicens: Pulmones recens natorum infantium sanguine turgentes & in aqua tepida subsidentes, tecmerium sunt fœtus, vel intra uterum mortui, vel nondum maturis viribus ut ut vivi editi, natantes vero, vel in partu, vel post eum vita præditi: *vid. ejus Exerc. Anat. I. de Origin. Anat. corollario de argumento infanticidii ex pulmone, contra dubia Raygeri & V. D. Linde.* E contra autem balneum nimis calidum, ad causam infanticidii genuinam referri debet, quemadmodum & tale balneum Principi recens nato, mortem accelerasse contra infelicem obstetricem pronuciavit *Facult. Med. Lips. d. 25. Aug. 1626.* teste *Ammanno Cas. 76. pag. m. 395.*

### §. XXI.

**D**e vulneribus absolute ac simpliciter lethalibus hæcenus dicta sufficiant, jam ad alteram vulnerum lethaliæ classæ, progrediendum nobis erit, & in specie de pulmonibus & reliquis visceribus agendum, quatenus non ad nobilium, sed ad vitam simpliciter necessariarum partium numerum pertinent. Præcipuum itaque respirationis organon sunt pulmones, quorum substantiam examinaturi,

sc-





sequimur vestigia *Marci Malpighii*, docentis: totam eorum molem, quæ vasis excurrentibus appenditur, esse aggregatum quid ex tenuissimis & levissimis membranis, quæ extensæ & sinuatae infinitas penè vesiculas orbiculares & sinuosas efformant, veluti in apum favis, alveolos ab extensa cera in parietes conspiciamus, quæ talem habent situm & connexionem, ut ex trachea in ipsas, mox ex una in alteram patens sit aditus, & tandem desinant in continentem membranam: quam opinionem variis adhuc ratiociniis ab experientia desumptis fusius deduxit *Laudat. Author in erud. Epist. ad Joh. Alph. Borellium datarum biga*. Ulteriore nunc connexionem ac situm si inspicimus, hi mediastini interventu in dextrum sinistrumque lobum divisi, & utrinque in duos subdivisi, arteriam asperam, venam arteriosam, arteriamque venosam, horumve vasorum infinitas ramificationes, cum vesiculis ac vasis lymphaticis fovent, ut respirationis ad vitam simpliciter necessariæ, continuata inspirandi & expirandi serie fungantur munere. Etenim ad flammam vitalem in sanguine conservandam, non tantum sanguinis ventilatio per ærem, fuliginosorum effluviis exportatio, sed præprimis pabulorum nitrosi volatilium in ære contenti importatio & subactio requiritur, quemadmodum id exemplo avium pariter ac murium *Generis Nobilitate non minus quam doctrina illustris Robertus à Boyle in nov. exper. Phys. mechan. exper. 41. pag. m. 288.* testatur. Enim vero non solum denegato ære elastico, seu materia respiratori convenienti, animalia extinguuntur, antlia pneumatica probat, sed etiamnum constat, mineralium effluvia, sale acerrimo imprægnata, lethiferis ærem inquinare particulis, fixis vel volatilibus, ac angulis solidis & acutis sanguinem præter modum coagulare aut dissolvere, hincque pro majori vel minori eorum copia, mortem subito vel paulatim inferre posse. Uti contigit Parisiis fossoribus quibusdam thesaurum in cella vinaria detecturis, mox vero ab effluviis extinctis. Præterea & idem confirmat crypta canicidii celebris *la grotte del*



*del cane* nuncupata, quæ in fundo subviridescens, in superiori autem regione, nativi terræ coloris est, & alio plane modo exitialis, nam in infima tantum parte æther subtilissimus & spiritus tenuissimus aëre communi subtilior, motu suo rapido, vivificum aërem removendo, animalia extinguit, quæ animalia torpida, vicino flumini injecta, reviviscunt: quia innatans aëri sal, nitrosam indolem æmulans, & in dicta crypta deficiens, sanguinem reducem ex venis crasses centemque novo fermentaceo stimulo non rarefacit, fusius hæc omnia demonstrante *famigeratiss. Bernh. Connor. Archiatro Polono, eleganti admodum dissertatione Med. Physica de Antris Leibiferis vid. Act. Erud. An. 1696. p. m. 554.* Denuo & summatim dicimus, eam aëris regionem, in qua respirant animalia & atmosphæræ nomen sortitur, esse congeriem minutiarum telluris, interspersæ æthere, varii motus & cujuslibet figuræ, quæ omnia tamen pro tempestatum, regionum ac locorum discrimine, diversam obtinent vim, diversis utique qualitatibus atque naturis respondentem; quam nostram sententiam non leviter suffulcire videtur *eruditione clarus Malachias Thruston. in sua de respir. usu prim. diatriba p. m. 29.* adeoque solidiori mentis trutina vitalitatis nostræ modum à *Celeb. Bohnio in circ. Anat. Physiol. p. m. 70.* descriptum considerantes, principaliter cum eo hominum aliorumque animantium vitam in duplicis fluidi lucta consistere autumamus, cum nempe subtiliores fluidi aërei partes, minoribus se associantes sanguinis globulis, hosce à crassioribus motu suo vario divellere conantur, ab horum tamen renitentia ita coërcentur, ut ambo sibi æquiponderantes, reciprocas tententias & impetus exserant, sub pugna autem hac amicabili turgescantiam sanguinis æquabilem seu vitam perennent.

## §. XXII.

**E**x prioribus ergo colligere licet, meam à veritate haud alienam esse opinionem, cum dico (8) vulnera profunda, pul-





pulmonum substantiæ, eorumque vasis majoribus, venæ puta arteriosæ & arteriæ venosæ inflicta, ut plurimum esse lethalia. Sanguis enim sincerus & congruatus circum circa diffusus pulmones obruit, ac in actione sua impedit, unde, dum medicamenta ægrè ad locum pervenire possunt affectum, vitalium suboritur spirituum dissipatio, inevitabilis virium prostratio, animi deliquium, syncope, & tandem mors, aliis pro circumstantiarum diversitate citius, aliis vero tardius superveniens. Quamobrem dolendum vulnus, Viro cuidam

**CL**are docto per musculum pectoralem ac alterum pulmonum lobum in sinistro latere sub mammilla inflictum, mucrone gladii, violenter fracti, in manu vulnerati ab aggressore relicto, ægroque intra dies criticos moriente, post apertionem thoracis cavitate pectoris ibidem copioso sanguine extravasato ad duas mensuras oppletâ, juncta nec non enormi venæ pulmonalis læsione, à *Medico & Chirurgo* lethale pronunciatum est *Anno 1685. Mens. Jan. in Comitatu Tecklenburgensi*. Simul ac vulnus circa quartam costam lobum pulmonum dextrum & arteriam venosam faucians, vitamque adimens sanguine & spiritibus vitalibus dispersis, pro lethali habitum à *Fac. Med. & Chir. Lips. d. 26. Nov. An. 1634. restante Welschio cap. 6.* Nec non glandis sclopetariæ ictum, ægro paucas post horas obeunte, cum pulmonum perforatione, eorumque vasorum majorum laceratione, spatioque thoracis multo sanguine repleto lethalem pronunciauit *Fac. Med. Lips. An. 1683. d. 19. Jun. teste Bohnio p. 316.* Cui adhuc ex propriarum observationum catastro paris eventus casum jungit: quippe vulnus chartacea glande factum, cum quintæ costæ effractura, sinistri pulmonis lobi, hujusque vasorum laceratione, ægro intra nycthemeron, cum hæmorrhagia insigni, difficultate spirandi & cordis anxietatibus moriente, à se lethale judicatum *d. l.* Hoc itidem de læsione vasorum lymphaticorum intelligendum esse videtur, quorum singulare exemplum refert *Dolans in Encyc. Med. Dogmat. cap. de*

E

*Empyem.*





*Empyem. p. m. 351.* Militis quippe caesarei, ab ictu globi, per dextrum sinistrumque pulmonum lobum sauciati, cum angustia pectoris, difficillima respiratione, & stertore vehementi, sexto morbi die extincti; ubi aperto cadavere, sub dextro pulmonum lobo, in cavitate pectoris, materia ichorosa nondum in pus conversa, invenit libras octo, cum tamen sinister lobus, per quem globus etiam transferat, miro spectaculo, intra 6. dies consolidatus esset, ac si fuisset nova pulmonis portio, dexter vero ob lymphæ stagnantis copiam adhuc perforatus mansisset: Certo indicio, globum vasâ lymphaticâ illæsis sanguiferis aperuisse, aut si vulnerata fuerint, eadem robora naturæ intra 6. dies iterum coaluisse & sic empyema effectum vulneris lethalis exitisse, quod sane oppido rarum. Quapropter memoratum in modum transfossa ipsa pulmonum mole, aut dilacerata adhaerentium grandium vasorum propagine, vulnera hæc ad ut plurimum lethalium classem esse referenda, quis est qui incicias ibit. E contra autem si solam vulnerari liceat substantiam pulmonum, ea & aliquando arte sanari posse, demonstrat *Billo*, qui percussus in dorsum, etiamsi spiritus multus cum strepitu & sanguis è vulnere prodierit, curatus tamen legitur apud *Hippoc. lib. 5. Epidem. p. m. 794.* Pariter & *Pigraus Chir. lib. 4. cap. 14.* Nobilem in pectore, non longè à mamma, ensis ictu, dorsum in opposita parte trajiciente, percussum, intra quadraginta dies perfecte sanatum esse asserit: additque notabilem maxime historiam cujusdam militis curati, qui sclopeti ictu in thorace vulneratus, tribus aut quatuor à sanatione mensibus, tribus digitis longum costæ fragmentum, per asperam arteriam emisit. Itidem *Stalpart van der Wiel Cent. 1. observ. 30.* Juvenem, dorso perfosso, ac ensis mucrone per musculum intercostalem ad cutem usque penetrante, nihilominus intra quatuordecim dies sanatum prodixisse perhibet; quod alio etiamnum exemplo confirmat *idem Author observ. 32.*

§. XXIII.





## §. XXIII.

Perpectis ipsis pulmonum penetralibus, nobilissimi huius visceris canalem, per quem aërem inspiratione haurimus, eundemque expiratione reddimus, adire animus est; in quorum motuum primo, seu inspiratione, aer ponderis sui mole, per asperam arteriam, in teneras vesicularum pulmonalium cavernulas, thorace, musculis intercostalibus & diaphragmatis, aliisque pectoris & abdominis concurrentibus, ac relaxatis, expanso, irruit, easque dilatat: in altero vero seu expiratione, idem aer elapsus è pulmonibus, subsequente musculorum thoracis contractione, coarctatis, rursus expellitur: sicque gemino hoc motu perpecto, duplicem tantum tracheæ tunicam, cartilaginolam nempe ac membranaceam, una cum ramis ejusdem majoribus adhuc notari volo. Dico igitur (9.) Vulnere asperæ arteriæ profunda, tam in anteriori quam posteriori parte inflicta, præprimis quatenus illa per pulmones radices agit, esse ut plurimum lethalia. Hac enim sauciata enormiter turbatur respiratio, quatenus aer externus, pulmonum cavernosam compagem minimè subit. Sed ad pectoris cavum depositus, illos non tantum distendit, sed undique etiam comprimit, adeoque brevi suffocationem inducit. Quemadmodum & tale vulnus pugione in dextro latere, asperæ arteriæ inflictum cum subitaneo ægri obitu pro lethali agnovit *Fac. Chir. Lips. d. 2. Jan. 1621.* Similiter ac vulnus sub mento laryngem & venam colli majorem saucians, cum copiosa sanguinis effusione & respirationis sublatione ægrique momentanea morte lethale pronunciatum esse à *Fac. Med. Lips. d. 30. Mart. 1612.* afferit supra allegatus *Welschius cap. 7.* Nec obstat ullo modo observatio quæ reperitur apud *Steph. Blancardum in Collect. Med. Phys. Cent. 4. obs. 47.* ubi vulnus asperæ arteriæ profundum larynge una cum venis jugularibus per transversum usque ad oesophagum, qui simul sauciatus erat, abscisso, subsequente





sequente copioso sanguinis fluxu, intra triginta dies à *Mfr. de la Cour* curatum esse asserit, observatio enim est singularis, nec è mille istiusmodi modo læsis vix uni contigit labia vulneris cum salute ægri arte iterum coalescere, ipsomet ultro id fatente Authore. Quapropter majorem meretur fidem vulnus asperæ arteriæ profundum, sed intactis jugularibus venis, illæsisque arteriis carotidibus rursus curatum teste *Tulpio cap. 50. lib. 1.*

§. XXIV.

Sub aspera arteria canalis membranofus, qui ex faucibus musculoso principio descendit, gulæ nomine notus; cervicis, thoracis, dorsi que vertebrae adhærens: hæc circa undecimam thoracis vertebrae diaphragma pertransit, & sinistro ventriculi orificio sensibili ac nerveo implantatur, actio ejus, quam musculorum & fibrarum ope absolvit, deglutitio dicitur, usus autem est assumptis transitum præbere, quæ omnia perfacile cuilibet anatomiam saltem inspicienti patebunt. Sicque dico (10.) vulnera profunda, per transversum gulæ inflicta, & ejus interiorum in thorace delitescentem partem penetrantia esse ut plurimum lethalia. Etenim præter medicamenta applicandi incommoditatem, duo adhuc urgentia ex læsione emergunt symptomata, dolor quippe vehemens, ob membranofam gulæ substantiam, & insignis tumor ob ejus crassitiem & soliditatem, unde gulæ actio cessat; adeoque transitu intercepto, assumpta aliena spatia occupant ac putrescunt, succedente nec non respiracionis difficultate & suffocationis periculo, ita ut paucarum dierum spatio perire tandem vulneratum oporteat. Quibus de causis vulnus globulo è bombarda excusso asperæ arteriæ & gulæ inflictum, cum læsione vertebrae medullæque cervicis ac fauciacione venæ colli insignis, cum effluxu sanguinis in asperam arteriam & subsequente suffocatione *Chirurgi Lipsienses* lethale pronunciarunt d. 28. Aug. Ann. 1626. teste *Wel-*





*Welsch* cap. 8. Pariter & vulnus ingens, punctum illatum, gulam totam ferè refecans, cum læsione musculorum adjacentium, ac sauciatione venarum jugularium internarum & extarnarum, nec non carotidum, lethale judicatum à *Bohno Anno 1678. d. 28. Julii vid. Aurb. tr. cit. p. 274.* Exilliora autem, & summitati gulæ inflicta vulnera, vix unquam mortem inferre probat notabile exemplum duorum juvenum, à latronibus jugulatorum, quorum unus mortuus, alter largissimo vulnere in faucibus accepto, artis peritia tandem à *Pigreo* sanatus legitur in *Epist. Med. & Chirurg. lib. 4. cap. 13.*

§. XXV.

**D**iaphragma præcordiorum nomine famosum, medium & infimum ventrem dirimens, in ambitu musculosum in medio autem sive centro nervosum est, cingiturque membrana superius à pleura, inferius à peritonæo originem ducente, arterias obtinet ab arteria aorta, venas, tam à vena cava, quam adiposa enatas, dictas phrenicas. His adhuc superaddit duas venulas, totidemque arteriolas antea à nemine descriptas *Phil. Verheyen in Anat. corp. hum. Tr. 3. cap. 3. fig. 5.* quæ à principio subclaviæ originem trahunt, & diaphragma ingressæ, frequenter cum prioribus venis & arteriis inosculantur: nervos tandem insignes à quarto quinto & sexto pari accipit, ad mentem veterum, cum adjacente appendicula muscoli psoas, cujus præclara actio in juvando & expediundo respirationis negotio cuilibet constat. Dico idcirco (II.) vulnera profunda, diaphragmati in centro sive parte membranosa inflicta, esse ut plurimum lethalia, sequuntur enim præcordiorum dolor, cordis anxietas, respirationis difficultas, inflammatio, febris, delirium, convulsio, & tandem mors. E contrario vulnera musculosa solum ipsius circumferentiam petentia, ad periculorum & sanabilium classem referri debere. Quod non sine rationibus ostendit vulnus diaphragmatis, à contusione sinistri  
la-





lateris ortum, cum copiosa sanguinis effusione in abdomen, ægrique morte subitanea lethale pronunciatum à *Fac. Med. & Chir. Lipsiens.* Anno 1658. teste *Welsch* cap. 9. Ac vulnus mirabile diaphragmatis, per circulum ejusdem nerveum, duobus in locis penetrans, ægroque intra quatuor horas diem supremum obeunte lethale habitum Anno 1687. à *Justo Vesti* in *observ. med. rar. s. pag. m. 131.* His & vehementes jungimus percussiones, ut pote ad suffocationem & asphyxiam disponentes, atque insperatè aliquando hominem enecantes: quemadmodum & *Bohnus* jactum lateris dimidii, hypogastrium dextrum impetentem, ægro subito concidente & expirante, lethalem pronunciauit Anno 1673. d. 7. *Maj.* in quo nihil integumentorum, nihil viscerum vasorumve læsum laceratumve offendit, nisi quod in diaphragmatis illo loco, quo costis nothis ejusdem hypochondrii hoc continguum, aliquid contusionis & suggillationis, ambitu suo vix dimidium imperialem æquantis, adstantes cum ipso viderint. *idem* pag. 24. Cœterum, carnosæ diaphragmatis circumferentiæ inflicta vulnera, perfectè curari, ratio non solum & autoritas, sed etiam experimenta frequentia docent, quamobrem legi possunt *Schenckius* lib. 2. *observ. 257.* & *Petr. Forestus Chir. lib. 6. pag. m. 10. in Scholia.*

### §. XXVI.

**A**ppetitus sedes & chylicationis organon, ventriculus scilicet, sub diaphragmate in medio epigastrio utriculari forma conspicuus, cumque gula & intestino duodeno postea connexus, gemino constat orificio, superiori seu sinistro, nervoso ac crasso, stomacho dicto, perpendiculariter inter serobiculum cordis, undecimamque thoracis vertebram collocato, & inferiori paululum angustiori dextrro seu pylo-ro nuncupato, nec non insigni præterea cavitate, quæ fundus dicitur. Tunicæ ejusdem enumerantur tres, quarum extima membranacea ex fibris quodammodo longitudinalibus, me-  
dia





dia carnosâ ex annularibus atque obliquis & intima nervosa ex varii generis contextis, composita est, cui adhuc apponitur crusta villosa. Venas demum coronarias recipit, vas breve, rami splenici sobolem & alias à vena portæ; ramum pyloricum, gastricum, gastro epiploidem, & arterias à cœliaca, nervos à pari vago geminos. Dico ideo (12.) vulnera profunda ventriculi, sive orificio superiori, sive inferiori, sive fundo propriè dicto, in inferiori infligantur parte, esse ut plurimum lethalia. Sinistro quippe orificio sauciato, succedit dolor exquisitus, tumor, inflammatio, singultus, convulsio, mors: dextro læso, præter dolorem & vomitum chyli etiam distributio turbatur, dum alimentaris massa naturaliter intestinis tenuibus amandari nequit. Fundo autem vulnerato assumpta in abdominis spatia delabuntur ac putrescunt, subsequente etiam ob transossâ vasa sanguinis fluxu, virium prostratione ac morte: quod assertum suffulcitur rationibus & responsis Clarissimorum Medicorum. Sic enim vulnus sinistri orificii ventriculi profus lethale extitisse judicavit *Fac. Med. Lips. d. 1. Jul. 1643. teste Ammanno Cas. § 8. p. m. 299.* conferatur ut & *Dan. Sennertus Pract. lib. 5. part. 4. cap. 3.* Idem vulnus dextri orificii ventriculi cum sanguinis fluxu in abdomen & intestina ægro tertio die satis cedente pro lethali habitum à *Fac. Chir. Lips. d. 30. Dec. 1599. teste Wëlschio cap. 10.* Et Mercator, cui fundus ventriculi, cùtello sauciatus erat, triginta horarum spatio obiit teste *Henr. ab Heer in obs. Med. p. m. 184.* Similiter & *Guil. Cowper Chirurgus Anglus, in sua Corp. hum. anatome,* ventriculi duo enarrat vulnera, unum hypochondrio dextro, sinistro alterum gladio inflictum; prius mox enormi sanguinis vomitu atque syncope stipatum, haud lethale: exitiale autem posterius, in quo multus sanguis, cum copiosis ventriculi contentis in abdominis cavitatem fuit effusus, *vid. Act. Erud. An. 1699. M. Febr. p. 49.* adeoque satis diductum, si dicto modo saucietur ventriculus, vulnera isthæc esse ut plurimum lethalia: at vulnera ventriculi partem





tem magis anticam, & peritonæo musculusque contiguam penetrantia, ad prædictorum classem minimè sunt referenda, quoniam ea sanari posse experientia nos edocet, & inter alia probant, Cultrivorus Bohemus apud *Dan. Sennertum l. à. p. m. 367.* Prussiacus apud: *Dan. Beckerum in egregio de ejus curatione An. 1640. Lugd. Batav. edito tractatu,* & Hallensis apud: *Wolff. Christ. Wesenern in epistola An. 1692. Halle Saxonum conscripta.* Nec non attentionem meretur apertura insanabilis, ex vulnere relicta, Rustici Bohemi, venabulo in ventriculo fauciati, quam refert *Schenckius obs. Med. 121. pag. m. 622. ex Julio Alexandrino:* ibi enim ex singulari textura & naturæ robore labia vulneris contiguis partibus agglutinata fuisse, ægro aliquot annis superstitè, existimamus. Quibus accedit singulare exemplum, quod contigit in nupera obsidione Elbingensi Anno 1699. ubi *Nobilis Prussus,* globo è tormento bellico exploso, à muro autem repulso, in scrobiculo cordis læsus, eodem momento extinctus est, cum tamen extra nil nisi macula livida in scrobiculo cordis appareret, quem ex vehementi commotione succubuisse putamus. Quemadmodum & epigastrii percussione, absque notabili vulnere, propter stomachi exquisitum dolorem enecare, notavit *Bohnius, in renunc. vuln. ex Fortun. Fideli p. 24.*

§. XXVII.

**I**ntestina pyloro continuata, gyrato & convoluto ductu per totum discurrunt abdomen inque extremo terminantur ano: Tunica ipsorum membranæ ventriculi pares sunt numero, nec multum ab eis differunt structura, nisi quod nonnihil tenuiores, & fibræ in secunda illorum tunica paulo aliter quam in secunda ventriculi dispositæ inveniantur, quapropter & harum disparitate dividuntur in tenuia ac crassa, illa constituunt duodenum, Jejunum & ileon, hæc vero cæcum colon & rectum. Tenuia concoctum chylum recipiunt & distribuunt, crassa autem concoctionis primæ excrementa colligunt, ac suo tempore rursus per alvum reddunt. In





In concava illorum superficie conspiciuntur per plurimam rugam transversam nec non valvulam atque glandulam, quae ultimae praecipuis tenuibus acervatim per modum racemi inhaerent, in crassis vero sparsae jacent, & veluti in distinctis stationibus solitariae existunt. Vasis gaudent copiosissimis, arteria nempe mesaraica superiori & inferiori, quarum illa paulo supra emulgentes ab aorta egrediens se se ad omnia intestina tenuia extendit: haec vero ab imo aortae sine proveniens, intestinis potissimum crassis impenditur. Venas pariter habent mesaraicas dictas, a dextro venae portae ramo provenientes, quarum propagines aequae ac arteriarum, per univrsum eorum disseminantur tractum. Insuper duodecimum propriam adhuc possidet arteriam a coeliaca, & venam a trunco venae portae originem trahentem, rectumque haemorrhoidales externas ab hypogastricis. Quibus delineatis dico (13.) Vulnere profunda, & per transversum intestinis sive tenuibus sive crassis inflata, cum laesione vasorum esse lethalia ut plurimum: quia nec manu debite tractari, nec labia dissidentia futuris decenter conjungi aut consolidari possunt, unde nutritio cessat dum tenuia chylum ad vasa lactea transmittere, adeoque ad ulteriorem distributionem porrigere nequeunt crassa itidem foetida alvi excrementa nec amplius colligere nec pro arbitrio retinere valent, quapropter contenta in cavitate abdominis prolabantur ac putrescunt, intestina alterantur, *sie lauffen an*; succedente gangraena, animi deliquio, syncope, & tandem morte. Sicque vulnus intestini jejuni per transversum sauciati, ita ut vix dimidii digiti latitudine cohaereret, aegro postridie extincto, absolute lethale pronuntiavit *Fac. Med. & Chir. Lips. d. 12. Apr. 1657.* Pariter ac vulnus ad trium digitorum latitudinem intestino ileo inflatum, aegrumque sequenti die interimens, pro lethali habitum a *Prof. Lipsiens. An. 1658. teste Welschio cap. 11.* Et eodem modo vulnus intestini ilei, digiti latitudine, vulnerato statim obeunte, simpliciter lethale

F

edixit,





edixit, *Fac. Med. Lips. d. 26. Febr. 1659. restante P. Ammanno* 645.91. Nec non vulnus intestini coli, ægro eodem die expirante, lethale iudicavit *Schenckius obs. Med. lib. 3. observ. 242. p. m. 704.* Denuo rarissimum est exemplum, quod refert *Steph. Blancardus Cent. 4. obs. 12. pag. m. 495.* dicens: musculos glutæos, cum particula intestini recti, ictu tormenti bellici quidem sublato, sed curatos esse: verum cum lethalium symptomatum ibidem nulla ab eo mentio facta, vulnusque manibus tractari potuerit, artis peritia quadantenus sanatum esse autumo, cum alvi incontinentia perpetua, ægrum sanato vulnere molestaret.

§. XXVIII.

Commune intestinorum vinculum, mesenterium dictum, originem sumit juxta primam ac tertiam lumborum vertebram, ubi plurimæ fibræ à peritonæo productæ in duas validas abeunt membranas, quæ simul junctæ, ipsum ipsius visceris constituunt corpus. Hoc ratione structuræ in mesaræon & mesocolon divisum, multa pinguedine, insignique glandularum serie donatum est, ac venas habet a vena portæ complures, que paulatim pauciores majoresve efformant anastomoses, arterias recipit à cœliaca, & nervos exiles numerosos à sexti paris ramo mesenterico intermedio, quibus nec non adjunguntur vasorum lacteorum pariter ac lymphaticorum innumeri hinc inde disseminati furculi, ut intestina eo commodius colligentur, & chylus distribuatur. Idcirco dico (14.) Vulnere mesenterii profunda, cum læsione grandium vasorum esse ut plurimum lethalia. Quemadmodum illustrat tristi sanefato juxta umbilicum inflitum vulnus, mesenterium cum adherentibus vasis insigniter faucians, ægrumque paulo post interimens, lethale pronunciatum ab *Excell. Frid. Lepnero P. P. ac Præceptore nostro Charissimo, & aliis ipsi adjunctis Regiomonti d. 10. Sept. 1697.* & vulnus regionis epigastricæ, punctim factum, per omentum in mesenterii centrum penetrans, ac præter vascula epi-





epiploica exilliora, propaginem arteriæ mesentericæ superioris insignem, transversim refecans, abdomine cruore extravasato & ad corruptionem inclinante turgescente, ægroque tertio ab accepto vulnere die expirante, lethale iudicatum à *Bohnio Anno 1670. d. 17. Jun. vid. Auth. p. m. 358.* E contra vulnus omenti & mesenterii, absque læsione adhærentium vasorum, ægro quarto post acceptum vulnus die moriente, per accidens lethale habitum à *Fac. Med. Lips. d. 29. Octobr. 1648. teste Ammanno Cas. 53. p. m. 273.* Quapropter de pancreate & omento probe notandum, quod periculum vulnerum, in his partibus, principaliter dependeat, à læsione vasorum adhærentium, & imminente gangræna, cum alias ad periculosa, sed sanabilia referri debeant. His pariter, annectit *Bohnius* vulnera profunda ductus thoracici & receptaculi lumbaris, lympham ac chylum dispensantis, eademque ob metum marasmi & hydropis lethalia pronunciat, ætiologiæ huic fidem faciens binis experimentis *Loweri*, qui *cap. 5.* animalia ex harum partium laceratione paucarum dierum spatio expirare docet, ventre post mortem lymphæ ac chylo extravasato, scatente: interim non negat Baronem glandis sclopetariæ ictu in ductu thoracico vulneratum artis solertia esse curatum vitamque per plures adhuc menses protraxisse teste *Langelott. & Bartholino Cent. 3. Epist. 37.*

## §. XXIX.

**R**enes in regione lumbari abdominis siti, dexter cui intestinum cœcum annectitur, sub epate, sinister cui colon adhæret sub liene collocatur, venas & arterias emulgentes ex venæ cavæ & arteriæ aortæ truncis descendentibus oriundas insignes habent, nervos ex trunci intercostalis & lumbarium furculis. Functio in eo consistit, ut serum in massa sanguinea superfluum segregatum per papillares carunculas ad pelvîm seu infundibulum percolatum, per ureteres utrinque ad vesicam urinariam transmittant. Ea propter dico (15.) vulnera renum profunda, cum læsione vasorum





rum emulgentium, ob insignem & immedicabilem hæmorrhagiam ac inflammationem, hincque emergentem ischuriam, esse ut plurimum lethalia: quæ vero absque læsione vaforum emulgentium, in substantia renum superficialia contingunt, non esse lethalia, cum uno renum læsò, alter in officium succedat; quod abundè satis Anatomicorum æque ac Practicorum testatur autoritas. Ita enim *Petr. Forestus observ. Chir. lib. 6. in Schol. pag. m. 12.* Si renum substantia propria vulneratur, dummodo vulnus non pertingit ad eorum sinum, non interimit necessario, si autem pertingit ad sinum, & magnum est, necessariam ac repentinam adfert mortem, quod ego sæpius vidi. Et *Schenkius observ. Med. lib. 3. de ren. p. m. 913.* vidi renem sinistrum pugione vulneratum iterum sanari: conferatur *Fallopium de vuln. in gen. cap. 4.* Ob eandem autem rationem vulnera ureteris in alterutro latere lethalia dici non debent, siue enim ureter per longitudinem vulneretur, siue per transversum, & ita quidem ut ex inflictò vulnere, plane pereat ac cesset ipsius usus & officium, lethalityatem tamen id per se inducere non valet; quia feri ad vesicam transitus, non fit confertim sed lento satis stillicidio, & alter alterius renis ureter in vulnerati locum succedit, ipsiusque vice defungitur.

§. XXX.

Vesica tribus gaudens tunicis, communi, musculosa ac nervosa, in abdominis pelvi collocata est, inque cervicem & fundum dividitur, arterias & venas habet ab hypogastricis ac hæmorrhoidalibus internis in mulieribus etiam à spermaticis oriundas, nervos à paris vagi & lumbarium furculis; actio ejus in eo consistit, ut serum ex ureterum meatibus recipiat, illudque deinde fibrarum musculorumque beneficio per urethram rursus excernat. Quamobrem dico (16.) vulnera profunda, vesicæ fundo inflictà, esse ut plurimum lethalia; urina quippe in abdominis cavitate profuens ac ibidem collecta, tumorem non solum excitat hydropicum





dropicum sed & calorem viscerum destruit, vulnus nec futura nec vinculis stringi potest, unde subsequitur dolor, convulsio, mors. Vulnere autem collo vesicæ inflicta, si lege artis tractentur, esse sanabilia: quod abunde satis testantur tam quotidianæ exsectiones calculorum, quam repetita ex veterum memoria exempla. Adeoque quoad prius assertum notabile est vulnus in dextro latere fundo vesicæ inflictum, ægrumque jugulans, cavitate infimi ventris multo cruore repletâ, intestinisque extra abdomen prolapsis, ac non solum alteratis, sed & corruptis i. e. Sie waren angefauffen und schwarz worden quod *Fac. Med. & Chir. Lipsiens.* lethale pronuntiavit d. 5. Novemb. 1622 teste *Welsch* cap. 13. Simul ac vulnus intra os coxendicis & sacrum, substantiam membranæ vesicæ lateris dextri faucians, ægro statim corrumpente, & tertio pariter die expirante, abdomine multa urina sanguine tincta oppleto, quod lethale edixit *Bohnus An. 1681. d. 2. Octob. in renunc. vuln. p. m. 392.* Quoad posterius, attentionem merentur tres calculi, ovi gallinæi magnitudine cum salute ægræ vesicæ exempti, & duodecim unciarum pondus habentes, Regique Carolo oblatis, qui unum malleo frangi iussit, in cuius matrice alium invenit, teste *Amb. Paræo lib. 24. cap. 19. p. m. 859.* Et exemplum calculi gravitate suâ quatuor uncias æquantis, ab ipso ægro præcisi ac tamen curati testante *Tulpio observ. Med. lib. 4. c. 31.* plura qui desiderat, evolvat *Schenckium lib. 3. observ. 343.* ibique magnum prædicto modo curatorum inveniet cumulum. Tandem quod reliquas fabricæ humanæ concernit partes, ut pleuram, mediastinum, peritonæum, uterum, vasâ spermatica & testes, cum hæc nec nobiles nec ad vitam simpliciter necessariae sunt, sed vel ad fomentum & robur aliarum partium, vel propagationem febolis faciunt, illisque læsis vita nihilominus remanere potest, earundem vulnere periculosa equidem, lethalia tamen non sunt: nisi quoad uterum, insignis hæmorrhagia, aut partium nervearum tensio dolo-





dolorifica, ægram in lethales convulsiones conjiciat; ob quas rationes etiam *Bohnius* vulnera uteri lethalibus accenset, provocans ad exempla, violenta manu extracti & lacerati uteri, apud *Bartholinum cent. 2. observ. 91.* & primiparam Zittaviensem, ob violentam uteri protractionem subito mortuam, in *Actis Facultatis Lipsiensis*. Quapropter absoluta primâ & secundâ vulnerum lethalium classe, ne extrema sicco præteruisse pede videar, ad ea, quæ de vulneribus per accidens lethalibus addi possunt, paucis descendam.

## §. XXXI.

**P**artibus itaque externis, cuticulæ puta, cuti, pinguedini cum panniculo carnosio, musculisque, & extremis sive artubus, eorumque vasis inflicta vulnera, non raro fieri lethalia censeo, sed non per se, nec ut plurimum, sed per accidens, hoc est præter spem & opinionem, cum scilicet aut Medicus aut æger aut adstantes sive sint amici sive ministri minime dextre se gerunt, aut alias in externis peccetur, de quibus *Hippocrates Aphor. 1. Sect. 1.* & *Galenus d. l.* agunt. Medicum enim & Chirurgum oportet esse prudentem, ægrum & adstantes ad nutum Medici obsequiosos: Externa pariter quo ad sex res non naturales & infinitas alias circumstantias, ita debent esse comparata, ut curationem vulnerum promoveant. Hæ etenim partes cum nec nobiles, nec ad vitam simpliciter necessariæ, nec gravibus symptomatibus obnoxia, earumque vulnera manibus tractari possint, per accidens solum lethalia fieri dicuntur. Qua ratione in puero alapis & plagis sola manu datis tractato, ac altero die mortuo, partibus externis & internis illæsis, percussione capitis, humores in corpore cachectico commovisse, & in medullam spinalem præcipitasse, succedente apoplexia ac morte respondit *Fac. Med. & Chir. Lips. d. 30. Jul. 16 17. teste Welschio cap. 14.* Similiter viginti & plura vulnera, femori sinistro globulis missilibus minoribus inflicta, venis cruralibus earumque ramulis, vesiculis seminalibus, pyramidalibus





libus femorisque musculis fauciat & suggillatis, succedente passione iliaca, & vulnerati obitu, in vicina civitate Lübbeke à Medico ac Chirurgo lethalia pronunciata d. 17. Dec. 1677. & quidem per accidens, cum partes læsæ ad vitam simpliciter non fuerint necessariae, vulneraque manibus tractari potuissent. Qui vero sanatorum, ac sanandorum vulnerum exempla desiderat, ipse adeat observatores Practicos, nempe *Corn. Bontekoe, Joh. Jac. Waldschmidt, Joh. Dolanum, Jos. de la Charriere, Joh. Mays, Fabrit. Hildanum, Henr. ab Heer, Steph. Blancardum, Paul. Barbette, Ansh. Nuck, Joh. Scultetum* & alios, eleganter eorum curam tractantes, nobis autem dicta sufficiant.

§. XXXII.

**D**enique cum finem huic nostro labori imponere animus sit, pauca adhuc de horrendo ac nefario quorundam homines veneno è viventium ordine tollendi conatu subnectere libuit. Sunt vero veneno extintorum signa vel externa, ut insignis totius corporis aut abdominis intumescencia, à virulenta fermentatione inducta, funestus cadaveris livor, variorum colorum maculae, circa præcordia & in abdomine, nunc livida nigricantes, nunc ex rubro flavescences: vel interna; ut venenosæ saburræ in ventriculo latitantis vestigia præsentia, massæ sanguineæ corruptio, & mutata præprimis viscerum qualitas. Cum enim venenum suâ acrimoniâ, tam chyli & sanguinis, quam reliquorum in corpore circulantium humorum activitatibus confestim necrosin inducit, fibrasque eorum, pariter ac alias vias erodit & ad circulationem ineptas reddit, tonus viscerum destruitur, adeoque vel maculae, vel tumores gangrænosî, citissimè animam expellentes, producentur. Sic etenim in muliere subito moriente, externas circa præcordia & regionem epigastricam apparentes maculas, è rubro flavescences, cum intumescencia abdominis cadaverosa, ac ventriculo saburra corruptorum humorum variegati coloris repleto, concurrentibus





rentibus ut & aliis circumstantiis pro signis assumpti veneni habuit *Fac. Med. & Chir. Lips. An. 1661. teste Welschbio cap. 17.* Eodem etiam modo, cor tumidum, ac triplo quam pro consuetudine majus, in parte dextra universum thoracis latus replens, cum aneurismate, inque auricula dextra materiam concretam flavi coloris, & in vena cava ejusque ramis iliacis, sanguinem concretum nigerrimum, conformationem pervertentem, nec non faciem labia ac palpebras tumidas, ita ut bulbi oculorum intra orbitas quasi retracti viderentur, tanquam signa assumpti veneni in septuagenaria subito extincta, demonstravit *Perrus Pavius in praesentia D. Treclatii & D. Heurnii. Anno 1596. d. 13. Dec. vid. ejus obs. anat. 21. p. m. 35.* Idem quoque contigit in *Joh. Baptista Salice, Professore olim patavino, cum intolerabili circa umbilicum dolore ac nausea, decima quinta, à capparibus assumptis hora extincto; toto statim corpore post mortem, praesertim facie & partibus genitalibus intumescens, è cujus abdomine, secunda post obitum hora aperto, flatus cum strepitu inter secundum, erumpebant, ventriculus, colon, ac reliqua intestina multis in locis erosa apparebant, & excrementa in cavitate hypogastrii locata conspiciantur; quapropter subitanam hanc mortem ab assumpto veneno contigisse judicatum est, teste Thoma Bartholino cent. 2. observ. 18. pag. m. 244.* Reliqua in Historicorum autoritate fundata signa, ut cor veneno extinctum igne non comburi, quod *Suetonius* in vita Caligulae p. m. 386. ex *Plinio* notavit, item cadavera veneno extinctorum neque à feris, neque ab avibus tentari, eodem *Plinio* approbante, inveniuntur quidem apud dictum Scriptorem lib. 11. cap. 37. & lib. 2. cap. 63. sed mihi in verba Magistri jurare haud placet.

Tantum,

COROL.





---

## COROLLARIA.

### I.

Fluidorum corporum nomine in homine comprehenduntur, sanguis, bilis, chylus, succus nerveus, pancreaticus, saliva, lympa, & quot quot humores per glandulas sive conglobatas, sive conglomeratas sequestrantur.

### II.

Fluida corpora è triplici particularum genere consistunt, duobus scil. activis, alcalicis & acidis, mutuo se oppugnantibus, & tertio neutrali, viscoso ac glutinoso, sui interpositione soliditatem constituyente, & activorum vim retundente.

### III.

Partes corporis fluidi, ex parvis trium illorum generum particulis constantes, sunt vel circumferentiales seu laxiores, vel centrales seu solidiores, illæ dissolutioni & interitui magis, hæ minus obnoxia.

### IV.

Fermentatio est motus intestinalis, partium corporis fluidi circumferentialium activarum, cum sequestratione passivarum.

### V.

Effervescentia seu ebullitio, est motus intestinalis, partium corporis fluidi centralium activarum, cum separatione passivarum.

G

VI.





## VI.

Febris & fermentatio sanguinis, præternaturaliter aucta, cum pulsu frequenti actionumque læsione.

## VII.

Fermentum heterogeneum sanguini naturaliter disposito incongruum, texturamque sanguinis turbans est causa febris.

## VIII

Modo bilis, modo lympha, modo utraque exaltata, modo ulcerosa aut inflammatoria cujusdam visceris dispositio, modo contagium, est causa febris continuæ.

## IX.

Succi lymphatici fermentantes, membranasque corpus investientes, acrimonia sua vellicantes, in febribus horrorem, frigus vel rigorem inducunt; ventriculi membranas pungentes, nauseam & vomitum; intestinorum concutientes, tormina & alvi fluxus; vesicæ vero tunicis allidentes, stranguriam & dysuriam pariunt.

## X.

Dispositio sanguinis, modo acris, modo acida, modo austera, citius aut tardius maturescens & fermentescens: est causa periodorum in febribus intermittentibus.

## XI.

Particulæ sanguinis circumferentiales, laxæ & ferrosæ, ab ebullientibus succis lymphaticis in ingentem fervorem adactæ, summum excitant ardorem in febribus.

## XII.





## XII.

Sedimentum rufum, in tertianarum urinis, post paroxysmum repertum, esse particulas viscosas sededentes cum emortuis activis, statuimus.

## XIII.

Venæ Sectio, emetica, purgantia, diaphoretica, alterantia & roborantia, conveniunt in febribus & non.

## XIV.

Cortex Chinæ de China, vi astrictoria amaricante, fermentationem febrilem inhibendo, paroxysmum differt qua ratione ejus usus periculosus & non.

## XV.

Spiritus acidus contagiosus, per contactum communicatus, est causa symptomatum in lue venerea.

## XVI.

Curatio per sudorifera, aut salivationem mercurialem instituta, ingerendo, inungendo, balneando, suffitu vel emplatri forma, absque topicis, radicatus evellere nequit luem veneream.

## XVII.

Lympha ob denegatam transpirationem insensibilem nimis aucta, inque glandulis ac ductibus stagnans & acescens, vel ruptis vasis lymphaticis extravasata, in præcordiis sanguinem coagulando, catarrhum suffocativum, in cerebro apoplexiam, in humeris, articulis aliisque partibus externis, rodendo membranas, dolores modo vagos modo fixos efficit

## XVIII.

Lympha dicto modo alterata, & in venas se exonerans,





nerans, in pulmonibus anxietates cordis cum catarrho suffocativo aut ferino producit.

XIX.

Lympha particulis nitro-sulphureis, seu biliosis aut acidis turgida, & succo nerveo associata, spiritibus animalibus impetum instar auri fulminantis, vel lachrymæ vitreæ, vim elasticam exferentis inducit, sicque convulsiones excitat.

XX.

Cinnabaris, antiepilepticum medicamentum notissimum, non semper per ductus salivales operationem suam absolvit.

XXI.

Cerebrum, cerebellum, æquè ac medulla spinalis, constat ex infinitis corpusculis globosis seu glandulis, ductibusve tubulosis, arterias recipientibus, venas emittentibus & in fibrillas albas spiritus animales segregantibus.

XXII.

Fibrillæ albæ numerosæ, hinc inde in cerebro, & cerebello dispersæ, mutua complicatione rete efformant, ac tandem in parvos combinantur, fasciculos, hi vero vaginis membranaceis occlusi nervos constituunt, quorum rami seu expansiones sensum motumque partibus communicant.

XXIII.

Partes sanguinis alcalicas & sulphureas maximè volatiles ac purissimas, in glandulis cerebri sequen-





questratas, quatenus priores posteriores dissolvunt, ut interstitia ramorum æquè ac pori inter illas remanentes, materiæ æthereæ pro velocissimo motu instituendo relinquuntur; prædominium in dictis spiritibus animalibus habere; & vitam hominis in ordinato totius corporis partiumque motu, qui ex mutuâ organorum rite conformatorum ac agentium fluidorum habitudine & reciproco impulsu dependet, consistere, non sine ratione defendimus.

#### XXIV.

Fibræ purissimæ, arctè invicem connexæ, constituunt modo tendinem modo ligamentum, firmiter tandem junctæ, in cartilagineum aut os quandoquidem coalescunt.

#### XXV.

Singulæ fibræ cavitatem habent & nervum pro affluxu spirituum animalium variis cellulis globosis dotatum.

#### XXVI.

Major vel minor obstructio aut compressio fibrarum, spirituumque congelatio, efficit modo apoplexiam, modo paralyfin, modo stuporem.

#### XXVII.

Gangræna & Sphacelus, respective præsupponunt in venis, arteriis, & nervis, aut totalem obstructionem,





onem, aut erosionem, & consequenter omnium humorum circulantium in parte affecta remoram.

XXVIII.

Particulæ sanguinis blandæ oleosæ, quatenus leni suâ ramositate & flexibilitate, poris partium variè possunt accommodari, & superficiebus ipsarum applicari, nutriunt; exclusis aqueis, acidis, salinis ac amaris.

XXIX.

Offium incurvationem in Rachitide, à tendinum brevitatem, ob inæqualem nutritionem, & spirituum è spinali medulla affluxum sufflaminatum, dependere asserimus.

SOLI DEO TRINUNI  
LAUS HONOR & GLORIA  
in  
SEMPITERNA SECULA.







*Q*uos Tibi commeruit studium, nunc dantur  
honorés,  
Gratulor & toto pectore fausta precor.  
Accrescant titulo celebris præconia famæ  
Ut Medicus prudens, sollicitusque potens.  
Vive diu Patriæ felix, Caroque Parenti,  
Consilioque juves, auxilioque sies.

Ita novis honoribus Doctoralibus cum  
felici voto applaudere voluit

DAVID FREDERKING, J. U. D.  
& p. t. Judex Mindensis.

*N*Unquam curari lethalia vulnera posse,  
Viscera quæ lædunt, cum benè, GNATE,  
doces.  
Quæ ALBERTINA dicavit dudum, ac BELGICA  
nuper,  
Jam ERNESTINA dabit, præmia, MUSA, Tibi.  
In Medico studio pergas feliciter, opto,  
Sic DEUS, augebunt, atque GALENUS opes,

*Pro insignibus in Medicina & Chirurgia.  
Doctoralibus rite obtinendis, dispu-  
tanti Filio gratulatur*

CONRADUS VASMAR, M. D.  
& Reip. Mind. Phys.



**S**onnet.

So wird dann wol bekant / was Gutes doch gebihret  
 Ein unermüdter Fleiß da man in kurzer Zeit  
 Betrachtet früh und spat mit höchster Emsigkeit  
 Nach Kunst und Wissenschaft; da man hat wol studiret  
 Die edle Medicin, und sich also regiret/  
 Mit Neigung der Natur dem Groß- und Vatter gleich  
 Zu folgen in der Welt/ als selbig' auch sehr reich  
 Ihr Gubt Herz Vatter Ihm gegeben und gewihret;  
 In dem Er allbereit auß Clio Wehretster Hand  
 Den schönen Purpur-Qubt zum hohen Ehren-Stand  
 Erwünscht empfangen hat. Gott gebe ferner Segen  
 Zur Kunst der Chirurgi und edlen Medicin  
 Daß sie der Krancken sey ihr Hoffnung und Gewin  
 So lange sich sein Geist allhie in Ihm wird regen.

Zu Bezeugung Vetterlicher Schulbigkeit  
 hat dieses entwerffen wollen

ALB: von BUSCH, Past.  
 zu S. Marien in Minden.

*Fluctuat? an gnari specimen mea Musa Galeni?  
 Sanguinolenta feri num canat arma viri?  
 Fallitur; afflictam patitur mens integra culpam  
 Pylliridis causas, non sono Martis opus.  
 Hinc placet Athleta Medicum conscendere campum  
 Vulneris & notas dissecuisse vias.  
 Macte animo! in doctam pugil ito togatus arenam  
 Crede triumphantis; laurea certa manet.*

Ex sincero affectu applaudit

S. H. MUNCHKING,

JCtus.





DA A 6540

ULB Halle

3

002 937 247



Sb.

W 17









DISPUTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS  
DE

VULNERE  
LETHALI,

QUAM

Auspice DEO Ter. Opt. Max.  
SENSU ET AUTORITATE GRATIOSISSIMÆ  
FACULTATIS MEDICÆ,  
IN ILLUSTR. ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI *Nobilissimi, Excellentissimi atque Experientissimi,*  
DN. JUSTI HENRICI  
MANGOLD,

Medicinæ Doctoris ejusdemque ac Phil. Nat. Professoris  
Ordinarii, Collegii Medici h. t. DECANI Spectatissimi,  
*Domini Fautoris ac Promotoris sui atatem venerandi,*

**PRO LICENTIA**

SUMMOS in MEDICINA & CHIRURGIA HONORES,  
infignia ac PRIVILEGIA DOCTORALIA, More Majorum  
rite & legitime capeffendi,  
Publico MAGNIFICI & AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI  
*Examini fuffit,*

**DANIEL PHILIPP VASMAR, Mindanus.**

IN AUDITORIO MAJORI

D. 4. Februarii Anni M DCCI. *horis consuetis.*

RINTHELII, Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

